plicant idem eſſe ſive hæreditas illa ſit aſcendentium, ſive cujuſvis extranei, quod probat ratio, cui hæc ſententia innititur, *Antonius, Joannes Andreas, Imola, Berous, Angelus, Guillelmus Benedictus, Covarr. Nicolaus de Ubaldis, Rolandinus, Angelus de Gambilionibus, Redoanus num.* 64. & quamvis cæteri id non explicent, idem clarè ſentiunt, cùm indiſtinctè loquantur.

48 Nec audiendus eſt *Imola l. 1. num. 6. ff. de vulgari.* hoc temperans, dummodò hæreditas illa non ſit repudiata à monacho adhuc ſuperſtite. Quippe dicendum eſt nil referre hanc repudiationem, ut benè ait *Berous c. Raynutius n. 391. de teſtament.* quia ea repudiatio nil officit juri monaſterii, & prorſus irrita eſt, ut diximus *n.* 37. & 38.

49 Sed ſupereſt difficultas, an amplectendo primam opinionem, ut monacho ante aditam hæreditatem mortuo, nequeat monaſterium adire, competat monaſterio remedium reſtitutionis petendæ, ut ſic hæreditatem illam via reſtitutionis adipiſcatur? *Aretinus cap. in præſentia, num. ultim. de probat.* dicit dubium ſibi eſſe hoc remedium: quod textus *l. Panthonius, ff. de acquir. hæredit.* cui contrarii innituntur, loquitur caſu, quo hæredi inerat ante mortem juſta aliqua non adeundi cauſa, ut minor ætas, vel abſentia, quæ in hoc eventu non reperitur. Secundò, quia læſio lucri ceſſantis dicitur fortuna contigiſſe per mortem monachi ante aditionem: damnum autem hoc caſu, & fortuna contingens non præbet hujus reſtitutionis jus, *l. verum, §. ſciendum, ff. de minoribus*. Idem reſtitutionis remedium negat in hoc caſu *Covarr. cap. primo, num. primo, verſ. quod velis, de teſtament.* quamvis illud admittat caſu, quo delata, & non adita hæreditate tranſit monachus ad aliud monaſterium.

50 Cæterùm veriùs eſt, id remedium reſtitutionis in integrum competere monaſterio, argum. *d. l. Panthonius*, cum ibi notatis, *ff. de acquir. hæred.* quia in hac aditionis omiſſione non conſideratur ſola monachi defuncti perſona, qui debebat adire, ſed etiam negligentia Abbatis, qui monachum coacturus erat adire, & aditioni conſenſum præſtiturus. Quare monaſterium tamquam læſum ex Prælati omiſſione fungetur vice minoris, inſtar Eccleſiæ, & petet ſe reſtitui, juxta notata *c. 1. de in integrum reſtitutione, in 6.* Quare cùm hæc læſio non conſurrexerit ex ſola monachi morte, ſed etiam ex Abbatis negligentia, non dicitur caſu contigiſſe. Ex his patet ad contraria. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Albericus l. final. num. 7. C. de Epiſcop. & cler. & ibi Cynus num. 8. Jacobus de Arena num. 5. & ibi Fulgoſ. §. hoc etiam, num. 3. Bartholomæus Socinus l. 1. num. 26. tit. de vulgari. Bertrandus conſ. 79. ad fin. vol. 4. Bellamera cap. in præſentia, num. 28. de probat. Cavalcanus deciſ. 1. n. 51. par. 3. Pachineus in controverſiis juris civilis, lib. 6. cap. 18. verſ. ego ad propoſitam*, benè addens etiam reſtitutionis petitionem debere eſſe intra quadriennium, ut expreſsè diſponitur eodem *cap. 1.*

51 Tandem dubitatur, an monacho exhæredato aut præterito à parentibus, integrum ſit monaſterio querelam inofficioſi teſtamenti intentare, & teſtamentum rumpere? *Angelus l. Papinianus 8. in princip. num. 2. & ibi Paulus num. 2. Fulgoſ. num. 2. & 4. Bald. Jaſon, Salycetus*, quos refert, & ſequitur *Perez additione ad Seguram, l. cohæredi, §. cùm filio, num. 71. ff. de vulgar. Gregorius Lopez l. 13. verb. no pueden tit. 13. p. 3.* ajunt monacho exhæredato non competere contra ejus voluntatem monaſterio querelam inofficioſi teſtamenti, qui aut monaſterium comparatur filio, & tunc non habet hanc querelam, quia filio exhæredato pater caret jure hujus querelæ invito filio, ut expreſsè deciditur *ea. l. Papinianus, 8. in princ.* eaque redditur ibi ratio, quod patri non inferatur injuria, ſed filio: aut comparatur ſervo, & tunc fortiùs eſt dicendum idem, quia querela tendit ad ſuccedendum ab inteſtato. Quare, ſicut ad acquirendam hæreditatem media perſona ſervi, exigitur ejus ſervi conſenſus, *l. cum proponas, C. de hæredib. inſtitu.* ita jus querelæ hujus intentandæ, quod eſt præparatorium ad eam ſucceſſionem, exigit eumdem conſenſum. Quippe, quidquid juris eſt in præparato quoad hoc, ut cui conceditur, vel denegatur præparatio, denegetur etiam, vel concedatur præparatorium, eſt etiam in præparatorio, *l. ad rem mobilem ff. de procuratoribus*.

52 Sed jure optimo aliqui Doctores, quos tacito nomine refert Angelus ibidem, opinati ſunt hoc jus querelæ, & rumpendi teſtamenti competere monaſterio. Quare omnia monachi jura ſunt penitus in monaſterium tranſlata, & eodem modo illi inſunt, quo monacho competebant, nec hæreditas jam monacho, ſed monaſterio immediatè defertur, ut probavimus *num.* 22. & 37. Nec obſtat fundamentum contrarium quia, ut diximus *num.* 48. quando alterutri comparari monaſterium eſſet in ipſius damnum, neutri comparatur.

53 Demum ex omnibus dictis duo inferuntur. Prius eſt, non ſola bona, quæ religioſus ante profeſſionem habebat, de quibus nondum diſpoſuerat, cedere religioni capaci ſuccedendi profeſſione emiſſa: ſed etiam, quæ poſtea acquirit, ſive illa ſuis operis, & induſtria, ſive donatione, ſive hæreditaria ſucceſſione, aut legato, aut quovis alio modo acquirat, quod conſtat *ex cap. Abbates, 18. quæſtione ſecunda*, quod omnes fatentur. Quid autem quando religio eſt incapax, dicamus infrà. Et in Societate JESU dicemus etiam infrà. Advertit tamen benè *Molina tomo primo, de juſtit. diſput. 140. colum. 8. verſ. non ſolùm bona*, non hoc ita accipiendum, quaſi religioſus profeſſus incapax quicquam ſibi acquirat, & id poſtea in monaſterium tranſeat: eſt enim profeſſus incapax quicquam ſibi acquirendi; ſed ita ut ratione, & nomine illius profeſſi omnia ea monaſterium immediatè acquirat. Quare quod monialis fornicando acquiſivit, tenetur reddere monaſterio, non ſecus ac comparata manuum labore, ut optimè docet *Molina tom. 1. de juſtitia diſput. 94. columna 9. verſ. utrùm verò*, ubi benè addit; ſi quid illi eſſet promiſſum, ac debitum ob fornicationem, & nondum ſolutum, non illi, ſed monaſterio eſſe reddendum, quando periculum eſt fore, ut ipſa non reddat monaſterio.

54 Poſterius eſt, monacho incidente in hæreſim, minimè amittere monaſterium bona delata ipſi monacho; quippe ea non ipſi, ſed monaſterio acquiruntur, ut benè docet *Spino gloſſa 12. principali, num. 25.*

CAPUT XIII.

Qualiter filiifamilias profeſſi peculium ſive caſtrenſe, ſive quaſi caſtrenſe, ſive adventitium, ſive profectitium tranſeat in monaſterium.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint? num. 1.

Quid ſit uſus, & quid uſusfructus, & quotuplex ſit uſus? numero 2.

Quotuplex ſit uſus, & uſusfructus? num. 3.

Uſusfructus quot modis acquiratur? num. 4.

Quot modis extinguatur uſusfructus, & an morte domini proprietatis, an ſolius uſufructuarii? Et uſusfructus eſt ſervitus perſonalis, & quamvis conſtituatur pro aliquo, & ſuo hærede, vel transferatur ex domini conſenſu, non eſt idem uſusfructus, ſed novus conſtituitur in alia perſona, ad quam tranſit. Et uſusfructus relictus civitati, aut monaſterio quanto tempore duret; & quando non in totum periit uſusfructus, vel quando plures ſunt uſufructuarii, an uno illum perdente redeat uſus ad proprietatem 5 num. 5.

Uſusfructus legatus, donec Titius ad vigeſimumquintum annum pervenerit, vel ad ſanam mentem redierit, vel uxorem duxerit, an extinguatur morte Titii ante illam ætatem, vel ante reditum ad ſanam mentem, vel ante nuptias? Et quid de uſufructu legato uxori, ſi vidualiter vixerit, & ſi tranſierit ad ſecundas nuptias Titio, an ea defuncto ante eum tranſitum, ſit Titii? num. 6.

An uſusfructus legatus Titio decennio, & poſtea Sempronio, debeatur ſtatim Sempronio, ſi Titius ante id decennium obeat? num. 7.

An uſusfructus relictus uxori, ſi caſtè, & vidualiter viveret, & poſt ejus mortem Titio, debeatur Titio uxore nubente, nec expectanda ſit ejus mors? num. 8.

An uſusfructus ad certum tempus conſtitutus finiatur morte uſufructuarii ante id tempus contingente? refertur quædam ſententia num. 9.

Explicatur ſententia auctoris, & an legata alimenta ad quinquennium extinguantur morte antea contingente? & textus, l. uxori 35. ff. de uſufructu legato, num. 10.

Quid diſtet inter uſumfructum, & commoditatem ejus; refertur quædam ſententia, num. 11.

Explicatur ſententia auctoris, num. 12.

An uſusfructus, aut actio ad eam alienari poſſit; referuntur duæ ſententiæ, num. 13. & 14.

Explicatur ſententia auctoris, & reſpondetur contrariis, num. 15.

An poſſit uſusfructus locari, aut hypothecæ ſubjici? num. 16.

An vendita proprietate per uſumfructuarium, vel ipſo uſufructu, cenſeatur vendita ſola commoditas, ut actus valeat, & quando cenſeatur jus uſusfructus venditum, & ſic non valeat venditio, aut ceſſio? num. 17.

Commoditas uſusfructus in alium tranſlata, an expiret morte transferentis, an potius ejus, in quem transfertur? num. 18.

Quid ſi uſusfructus transferatur de conſenſu domini proprietatis, ſive priùs illi traditus ſit, ſive ſolam actionem ad illum habuerit, an pereat morte cedentis, an ſolius ceſſionarii? num. 19.

An uſufructuarius vendens, vel transferens uſumfructum amittat eo ipſo illum? refertur duplex ſententia, numero 20. & 21.

Explicatur ſententia auctoris, num. 22.

1 PLenus hujus diſputationis intellectus petit aliquantulum naturæ uſusfructus, atque peculii à clericis acquiſiti declarationem, ut inde conſtet, qualiter uſusfructus à monacho ante profeſſionem acquiſitus poſſit ad monaſterium pertinere, & quale peculium ſit acquiſitum à monacho ante profeſſionem: id enim ex acquiſito à clerico indagandum eſt. Et ideo quintuplex quæſtio pertractanda eſt. Prima, de uſusfructus tranſlatione in alium. Secunda, de qualitate peculii acquiſiti à clerico. Tertia, de tranſlatione peculii filiifamilias in monaſterium tam quoad proprietatem, quàm quoad uſumfructum. Quarta, de uſufructu quocumque præter paternum competente monacho ante profeſſionem, vel

poſt profeſſionem ei relicto, qualiter tranſire poſſit in monaſterium. Ultima, de peculio paterno in adventitia filii bona, an per profeſſionem patris amittatur, an potiùs tranſeat in monaſterium?

2 Quæſtio prima. An uſusfructus ita uſufructuarii perſonæ inhæreat, ut transferri in alium minimè poſſit, & eo ipſo quod transfertur, extinguatur penitus? Hac in re quædam breviter ſupponenda ſunt, & deinde ad difficultates progreſſum faciemus. Eſt ergo ſupponendum, uſumfructum ſic definiri *in l. 1. ff. de uſufruct. & quemadmodum quis eo utatur, & inſt. eo. tit. in princ.* Eſt jus utendi, & fruendi aliena re, ſalva illius ſubſtantia. Quare in hoc diſtinguitur ab uſu: uſus enim eſt, ut *inſtitut. de uſu, & habitatione, in principio*, jus dumtaxat utendi aliena re ſalva ejus ſubſtantia. Eſt enim duplex uſus: quidam facti, qui eſt ipſe utendi actus, ut equitatio dicitur uſus equi: alter autem juris, qui eſt jus utendi, perſeveratque ceſſante illo uſu. Quamvis autem uſus, & uſusfructus conveniant in hoc, quod ſunt jus utendi re aliena, diſcrepant tamen, quod uſus ſit jus utendi illa, non autem fruendi: quare ille, cui conceditur uſus, non plus habet, quàm id, quod opus eſt, ut neque deſit aliquid, neque abundet ad vitæ neceſſaria pro cujuſcumque dignitate; & ita nec licet ei uſum vendere, nec locare, nec gratias transferre in alium, *inſtit. de uſu, & habitatione, in princ. l. plenum 12. §. 1. ff. de uſu, & habitatione, & l. 1. & 2. ff. eodem tit. l. ſi alii, 42. ff. de uſufructu, l. regia 20. & 21. tit. 13. parte 3.* Uſusfructus autem importat non ſolùm jus utendi re, ſed etiam fruendi illa: quare amplectitur quidquid emolumenti ex re illa percipi poteſt. Quare habens uſumfructum poteſt fructibus illis in quoſcumque uſus, & in quacumque quantitate uti, & illos omninò alienare. Quam differentiam aliis citatis optimè tradit *Caſtillo lib. primo, de uſufructu, c. 28.* & multis ſequentibus.

3 Eſt autem duplex uſus, & duplex uſusfructus: quidam eſt cauſalis, quidam autem formalis. Cauſalis, eſt qui in ipſomet rei dominio eſt, nempè jus utendi, & fruendi re, quod illius dominus habet in illa. Dicitur autem cauſalis, quod dominium rei ſit illius cauſa. Alter autem eſt formalis, qui nempe eſt in aliena perſona, & ſic ſeparatus à rei dominio. Quam diſtinctionem tradunt multi, quos refert, & ſequitur *Barboſa textus allegans l. uſusfruct. c. 58. n. primo, ff. ſoluto matrimonio*, & latiſſimè *Caſtillo libro primo, de uſufructu, toto cap. 1.* eam defendit contra nonnullos eam impugnantes. Uſusfructus autem cauſalis non dicitur propriè uſusfructus, ſed ſic tantùm propriè appellatur uſusfructus formalis.

4 Hic autem uſusfructus formalis duobus modis in genere conſtituitur, nempè lege, aut privata hominis diſpoſitione; ille dicitur legalis, qualis eſt, qui legibus conceditur patri in adventitia filii bona: hic autem dicitur conventionalis, quamvis non ſemper conventione, ſeu pacto, ſed interdum ultima voluntate, donatione, venditione, permutatione, aut alio contractu conſtituatur. Sic habetur *inſtit. de uſufructu §. uſusfructus*.

5 Finitur etiam hic formalis uſusfructus diverſis modis, ſed, qui ad rem præſentem faciunt, ſunt duo. Prior eſt, quando ad certum tempus conſtituitur, & illud elapſum eſt. Poſterior, quando uſufructuarius naturaliter moritur; tunc enim extinguitur uſusfructus, & redit ad proprietatis dominium, *§. fin. inſtit. de uſufructu*. Quare, ut uſusfructus finiatur, non attenditur mors domini proprietatis, ſed ſolius uſufructuarii mors, ut expreſsè deciditur *l. ſi patri, 3. C. de uſufruct.* Cujus ratio eſt, quod uſusfructus ſit ſervitus perſonalis, *l. 1. ff. de uſu, & uſufructu*. Et ob id ejus duratio non pendet à vita domini rei, ſed à ſola uſufructuarii vita, qua extincta, extinguitur quoque uſusfructus. Atque adeò eſt perſonalis uſusfructus, ut ſi ille concedatur alicui pro ſe, & proprio hærede, extinguetur morte prioris uſufructuarii, & ratione ſtipulationis conſtituetur novus uſusfructus in perſona hæredis, *l. ſtipulatio iſta, §. ſed, & ſi quis, ff. de verbor. obligat. & l. qui uſumfructum, 43. §. 1. ff. de uſufructu*. Similiter, ſi dominus proprietatis conſentiat uſumfructum in alium transferri, ut poteſt juxta textum *l. uſufructu, 58. ff. ſoluto matrimonio*, non idem uſusfructus videbitur tranſlatus, ſed potiùs novus conſtituetur in perſona illius, in quem voluntate domini tranſlatus eſt. Quippe fingitur priùs tranſlatus à domino, & brevi manu per dominum conſtitutus de novo in ceſſionarii perſona. Quare non amplius pendet ex vita perſonæ transferentis, in cujus perſona eſt per tranſlationem extinctus, ſed ex ſola vita ceſſionarii, cujus morte extinguitur; ut hæc omnia citatis *Bartolo*, & aliis tradit *Barboſa d. l. uſufruct. n. primo, & Anton. Gomez t. 2. variarum, cap. decimoquinto, n. decimoquinto, Pinel. l. 1. p. 3. n. 40. verſ. ſed dic nuper, C. de bonis maternis*. Quod ſi uſusfructus alicui monaſterio, Eccleſiæ, aut communitati relinquatur ſine temporis præfinitione, durat centum annis, quia is finis eſt vitæ longæ hominis. Atque ita deciditur *l. an uſufructus, ff. de uſufructu, & l. regia 25. tit. 31. parte tertia*. Quod autem diximus redire uſumfructum extinctum ad dominum proprietatis, intelligitur, ſi totus uſufructus extinctus ſit, ut conſtat ex *§. final. ad fin. inſtitut. de uſufructu*, ibi, *Cùm autem finitus fuerit totus uſufructus, revertitur ad proprietatem*, ubi *Gloſſa finalis* ab omnibus recepta ait; *ſecus ſi pro parte*. Et quando duo ſunt uſufructuarii ſimul, uno perdente uſumfructum, accreſcit alteri, ut expreſsè habetur *l. 1. §. penult. ff. de uſufructu accreſcendo*, quod accreſcendi jus quando locum habeat, eſt latè videndus *Caſtillo de uſufructu, libro primo, toto c. quadrageſimooctavo*.

6 Eſt tamen maximè obſervandum ſæpe primo aſpectu videri tempus aliquod appoſitum, quo tranſacto extinguatur uſusfructus, cùm tamen re vera ita non ſit: quare ſunt maximè ſpectanda verba, verbi gratia, ſi legetur uſusfructus alicui, donec Titius ad vigeſimumquintum annum pervenerit, judicaret quiſpiam Titio mortuo ante eam ætatem ſtatim extingui uſumfructum, quaſi conditio expleri non poſſit, & ſic extinguendo illi uſufructui appoſitum ſit tempus vitæ Titii ante vigeſimumquintum annum decedentis, aut ſi ad illud acceſſerit ea ætas. Similiter judicaret quiſpiam legatum relictum alicui, donec Titius furens ad ſanam mentem redierit, vel donec Titia nubat, extingui morte Titii ad ſanam mentem non reſtituti, vel Titia nondum in matrimonium collocata, quaſi jam conditio impleri nequeat, & ſic tempus finiendo uſuifructui deſignatum tranſierit: ſed in neutro caſu finiri uſumfructum, at in priori expectandum eſſe tempus, quod deerat ad vigeſimumquintum annum explendum; in poſteriori autem totum vitæ uſufructuarii tempus, ut ceſſet uſusfructus, eſt certiſſimum: quia utrumque expreſsè diffinitur *l. ambiguitatem, 10. C. de uſufructu*, & prioris caſus redditur in textu ratio his verbis; *neque enim ad vitam hominis reſpexit, ſed ad certa curricula*. Unde, ut optimè tradunt *Paulus ibi, numero ſecundo, & ibi Salycetus n. 1. in fine notab. 2.* hæc verba) donec Titius pervenerit ad talem ætatem) non conſtituunt conditionem extinguentem per Titii mortem, nec etiam conditionem ſuſpendentem. Poſterioris autem caſus reddit rationem ille textus his verbis, *Cùm enim poſſibile erat uſque ad omne vitæ tempus uſusfructuarii non ad mentem venire, furentem, vel conditionem impleri humaniſſimum eſt ad vitam eorum uſumfructum extendi. Quemadmodum etenim ſi deceſſerit uſufructuarius ante impletam conditionem, vel furorem finitam extinguitur uſusfructus: ita humanum eſt extendi eum in uſufructuarii vitam, etſi antea deceſſerit furioſus, vel alia conditio defecerit*. Ubi *Paulus num. ſexto*, opponit videri contrarium, cùm terminus furoris ſit mors, & ſic videatur defecta conditio. Et reſpondet, ſicut poſt mortem nemo eſt furioſus, ita & tunc neminem eſſe ſanæ mentis; atque ita non exiſtere conditionem directò contrariam legato, ſed extitiſſe conditionem nil ad legatum conferentem. At huic deciſioni videtur obſtare *l. uxori, 35. ff. de uſufructu legato*, ſed huic, ſatisfiet *num.* 10. Quare optimè *Gallinus de verborum ſignificatione, lib. 9. c. 14. per totum, & Caſtillo libro 1. de uſufructu c. 62. n. 12.* defendunt adverſus Alciatum, uſumfructum relictum uxori, ſi vidua permanſerit, & ſi ad ſecundas nuptias tranſiret, Titio, deberi Titia uxore defuncta ante tranſitum ad ſecundas nuptias; quod probat prædicta textus *l. ambiguitatem* deciſio.

7 E contra autem ſæpè videtur non ſtatim alicui deberi uſumfructum, ſed poſt certum tempus, cùm tamen ſtatim debeatur. Verbi gratia, ſi Titio legetur uſusfructus decennio, & poſtea Sempronio; videtur non deberi Sempronio, donec labatur decennium mortuo ante id tempus Titio, ſed uſque ad decennii lapſum pertinere ad hæredem, cui proprietas relicta eſt. At dicendum eſt deberi ſtatim à morte Titii Sempronio, quia ſublata eſt de medio perſona, cujus gratia eſt dilatum tempus, ut Sempronius eum uſumfructum conſequeretur, &, quia teſtator poſt Titium videtur prætuliſſe hæredi Sempronium. Atque ita docet *Paulus l. ambiguitatem, 10. num. 5. & 5. C. de uſufruct. & ibi Salycet. in fine*. Et in hanc partem inclinat *ibi Bald. ad finem*, quamvis relinquat cogitandum.

8 Simile, ſi teſtator relinquat uxori uſumfructum, ſi caſtè, & vidualiter vixerit, & poſt ejus mortem Titio, ſtatim ac uxor contravenerit conditioni, non expectata ejus morte, debebitur uſusfructus Titio. Quia teſtator prætulit Titium in hoc uſufructu hæredi, & ad tempus mortis uxoris caſtè viventis diſtulit, non in favorem hæredis, ſed in uxoris caſtè viventis favorem: quare ceſſante hac caſtæ vitæ conditione, cenſetur ſtatim voluiſſe dare Titio, tempuſque mortis uxoris deſignavit, eo ſolùm quod ſupponit illam ſemper caſtè victuram. Atque reprobata opinione Romani, & aliquorum aliorum. tenent citantes *Joan. Andr. Bartolum, Baldum, Albericum, Paulum, Alexand. Decium, Galiaulam, Socinum, Fortunium, & alios, Anton. Gomez t. 2. variarum, cap. undecimo, num. 35. Cavalcanus de uſufructu mulieri relicto, num. 70. Villalobos in ſuis communibus opinionibus, verb. legatum num. 12. Mantica de conjecturis ultimæ volunt. lib. 3. tit. 19. num. 19. Simon de Pretis de interpretatione ult. volunt. lib. 1. interpret. 2. ſolut. 14. num. 5. Raudenſis de analogis, lib. 1. cap. 20. num. 6. Cephalus conſ. 391. n. 1. lib. 3. Craſſus de ſucceſſ. ab inteſtato, §. legatum, q. 45. & 52. n. 7. Gallinius de verborum ſignific. lib. 9. c. 13. per totum, Caſtillo de uſufructu, lib. 1. cap. 62. n. 7. Brunonus in ſuo compendio, litera V. verb. uſufructus, verſ. uſufructu relicto*.

9 His ſuppoſitis, prima difficultas eſt, an ſicut uſusfructus ſimpliciter relictus finitur morte uſufructuarii, ita quoque finiatur, quando eſt ad certum tempus relictus, v. g., ad decennium contingente uſufructuarii ante id decennium morte? *Joan. Garzia de expenſis, cap. vigeſimotertio, num. 5. & de conjugali qu. num. 174. in fin.* ait, non finiri morte, ſed reliquo ſpatio pertinere ad uſufructuarii hæredes, quod tunc non induat uſusfructus naturam, ſed cenſeatur tota

illius temporis quantitas relicta in omnes illos annos diſtributa. Ducíturque ex textu *l. uxori, 35. ff. de uſufructu legato*, ubi expreſsè deciditur, uſufructu villæ legato uxori in quinquennium, & eo tranſacto villa legata aliis, non cedere diem villæ comparandæ, donec quinquennium lapſum ſit. Cujus contrarium eſſet neceſſariò dicendum, ſi ſtatim finiretur uſusfructus, nec tranſiret ad uſufructuarii hæredem, juxta ea, quæ diximus num. 6.

10 Sed abſque dubio dicendum eſt, finiri morte uſufructuarii, quibus ita expreſsè deciditur *l. ambiguitatem 16. C. de uſufructu*, cujus textus non meminit Joannes Garzia, ubi expreſſis verbis decidit textus, uſumfructum temporalem, ſive relictum ad certum tempus, ut donec Titius expleat vigeſimumquintum annum, ſive ad incertum, ut donec Titia nubat, extingui morte uſufructuarii ante id tempus contingentis. Et reddit rationem textus, quod impoſſibile ſit, uſumfructum ad hæredes, tranſmitti, cùm certiſſimi juris ſit eum morte uſufructuarii extingui. Atque ita tradunt *Baldus ibi num. primo, Salycetus numero ſecundo, notab. 3. Paulus num. ſecundo, in fin. Cavalcanus de uſufructu mulieri relicto, num. 137. Caſtillo de uſufructu, libro primo, cap. ſexageſimoſecundo, in fine, Rodriguez de annuis redditibus, libro primo, quæſtione tertia, numero decimoquinto*. Atque reddunt aliam rationem Baldus, & Salycetus ibidem, quia cùm legatum ſimpliciter uſusfructus finiatur morte uſufructuarii, à fortiori eſt idem dicendum de legato ad certum tempus, ne legatum minus perfectum, ſeu minus plenum ſit, potentius magis perfecto, ſeu magis pleno. Aliam quoque tradit Paulus ibidem, quod ea verba legati uſusfructus uſque ad triennium, aut aliud tempus determinatum habent tacitam conditionem, ſi tanto tempore uſufructuarius vixerit. Nec enim videtur legatus uſusfructus, niſi juxta ipſius naturam, ut extinguatur morte, atque aliis modis, quibus ſecundùm jura extinguitur; & ultra hoc per illius temporis lapſum, ſi nullo alio modo extinctus fuerit. Nec valet ſi dicas, uſumfructum temporalem non eſſe verè uſumfructum nam eſſe verè talem probat *Molina libro primo, de primog. cap. decimonono, num. 22.* & probat textus *l. 4. ff. de ſervitutibus*, ubi omnes ſcribentes id advertunt. Et in alio ſimili, nempè in legato alimentorum ad certum tempus, ut illud finiatur decedente interim alendo, tradunt *Bartol. & Jaſon*, quos refert, & ſequitur *Surdus de alimentis, tit. 15. quæſt. 1. num. 3. & 4.* per textum *l. ſi cum præfinitione, in princ. ff. quando dies legati cedat*: & reddit hanc rationem, quia alimenta habent ex ſui natura determinationem ex illius perſona, cui debentur. Atque ideo relictum etiam temporale habet tacitam conditionem, dummodò legatarius toto eo tempore vivat. Item, quia omnis diſpoſitio intelligitur juxta ſubjectam materiam, & ita ut conveniat naturæ actus, qui celebratur, ut tradunt *Alexand. conſ. 26. num. 6. vol. 4. Berous conſ. 105. num. 24. vol. 1. Natta conſ. 416. num. 3. Beccius conſ. 101. num. 4.* Cùm ergo alimenta ſuaptè natura alendi morte expirent, præfinitio temporis eſt intelligenda, niſi ille prius obeat. Quæ rationes militant quoque in noſtro caſu. Nec *l. uxori 45.* cui contraria ſententia innititur, probat uſumfructum non finiri ea uſufructuarii morte, ſed tantùm probat non redire ad legatarium villæ, ſed conſolidari cum proprietate hæredis, donec id quinquennium tranſeat; tunc id villæ legatum debere pertinere ad legatarium non expectato quinquennii lapſu, juxta doctrinam traditam numero 6. ex *d. l. ambiguitatem*, dicunt optimè *Bartol. eadem l. uxori numero ſecundo, & ibi Albericus numero unico*, id contingere ob vim illius dictionis (*tunc*) poſitæ in eo legato *illius l. uxori*, ibi; *& peracto quinquennio, cùm ejus uſusfructus eſſe deſierit, tunc eum fundum illi, vel illi libertis dari volo*. Quæ habet vim, ut id tempus ſit præciſè expectandum, ut conſtat ex *l. ſi iis legatum, 4. in fin. ff. de condit. & demonſtrat.* ibi; *ſi ita ſcriptum ſit, ſi in quinquennio proximo Titio filius natus non erit, tunc decem Scio hæres dato: ſi Titius antè mortuus ſit, non ſtatim decem Sejo deberi*; quia hic articulus (*tunc*) extremi quinquennii tempus ſignificat.

11 Secunda difficultas eſt, in quo diſtent uſusfructus, & ejus commoditas. Admittunt enim Doctores commoditatem uſusfructus poſſe in alium transferri: idque multi negant de ipſo uſufructu (ut videbimus *numero decimoquinto*) *Pinellus l. 1. part. 3. numero trigeſimonono, verſ. nec ſuperſtitioſi dicant, & verſ. ſequenti, C. de bonis maternis*, fatetur quidem ex juris ſubtilitate, & utilitatis cauſa aliquando differentiam conſtitui inter uſumfructum, & ejus commoditatem, aliudque eſſe jus uſufructus à facultate fructus percipiendi. At in præſenti eventu dicit nil referre, nullumque effectum habere, & eſſe tantùm verbalem differentiam aſſerere poſſe commoditatem uſusfructus alienari, non autem ipſum uſusfructus jus.

12 Cæterùm dicendum eſt, latum eſſe diſcrimen, quod optimè explicant *Joan. Garzia de expenſis, cap. decimo, num. 39.* & clariùs *Molina Societatis Jeſu tomo primo, de juſtitia, diſputatione 7. columna ultima*, dicens de ratione uſusfructus eſſe jus utendi, & fruendi fructibus proprio nomine: commoditatem autem uſufructus eſſe utilitatem, quam habet uſufructuarius ex illis fructibus conferendo alteri jus ad fructus percipiendos, eiſque fruendum non nomine proprio, ſed nomine ipſius concedentis. Quare in uſufructuari transferente in alium hanc commoditatem, manet verus priſtinus uſusfructus, impeditus tamen quoad actum utendi, & fruendi, propter translationem commoditatis in alium. Exemplum ſit in beneficiario, qui jus habet ad percipiendas decimas nomine proprio, nec id in laicum, utpotè juris illius ſpiritualis, incapacem, transferre poteſt, *c. quamvis, &c. prohibemus, de decimis*, & tamen locare poteſt, & vendere decimas laico, conferendo ei jus eas ſibi comparandi, non tamen nomine proprio, ſed nomine ipſius beneficiarii, *c. veſtra de locato*. Quod jus conductoris alterius rationi. à jure ipſius beneficiarii. Quare optimè *Barboſa l. uſufructu, 58. numero tertio, ff. de ſolut. matrim.* dicit multas eſſe reales differentias inter uſumfructum, & ejus commoditatem, ut proſequitur *Jaſon. l. cum filio à n. 157. ff. de legat. 1. & Tiraquel. de retractu linagier. §. 1. gloſſ. 7. à n. 46. & Joan. Garzia de expenſis, c. 10. n. 42. & ſequentib. Anton. Gomez t. 2. variarum c. 15. n. 15.* Atque latum eſſe diſcrimen conſtabit ex dicendis *n. 18.* & ideo amplectenda eſt frequentiſſima ſententia hæc diſponens, ut conſtabit ex dicendis *num. 14.*

13 Tertia difficultas eſt, an uſusfructus poſſit ab uſufructuario alienari, & transferri in alium ſive venditione, ſive donatione, ſive alio contractu abſque domini proprietatis conſenſu? Duplex eſt ſententia. Prior aſſerit id poſſe fieri. Ducitur ex *l. cui uſusfructus, 73. ff. de uſufructu, & quemad. eo quis utatur*, ibi; *cui uſusfructus legatus eſt, etiam invito hærede, eum extraneo vendere poteſt, & l. arboribus, 13. in princip. ff. eodem* ibi; *uſufructuarius vel ipſe frui ea re, vel locare, vel vendere, vel alii fruendam concedere poteſt & l. non utitur, 44. ff. eodem*, ibi; *non utitur uſufructuarius, ſi nec ipſe utatur, nec nomine ejus alius, puta qui emit, vel qui conduxit, vel cui donatus eſt, & l. ſi is qui bona, n. 11. §. uſusfructus, ff. de pignor.* ibi; *nam & emptorem uſusfructus tuetur Prætor, & l. in venditione, 8. in princip. ff. de bonis auctorit. Judic. poſſid.* ibi; *in venditione bonorum etiam uſusfructus venit, & inſt. de uſu, & habitatione, in fine principii*, ibi; *uſum autem vendere, locare, aut gratis alteri concedere non licet, cùm uſufructuarius omnia hæc facere poſſit*. Qui textus intelligi nequeunt de venditione, ſeu alienatione ſolius commoditatis, & non juris uſusfructus: tum quia hunc intellectum tradentes divinant, nullique fundamento innituntur; tum quia nullius effectus eſſet, ſed omninò vanum, permittere venditionem uſusfructus relicta alienandæ commoditatis facultate. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Gloſſa l. arboribus 14. verb. vel donet. in 2. ſolutione ff. de uſufructu, & quemad. eo quis utatur Abb. c. nuper num. 5. de donat. inter vir. & uxor. Alberic. l. 1. num. 4. C. de bonis maternis. Theoph. inſtit. de uſufructu, §. finitur, & ibi Picardonus n. 14. Hotoman. ibi verſ. cedendo extraneo & ibi Petr. Triciardus n. 30. 31. & 32. Aretinus l. qui Romæ § duo fratres num. 28. & 29. ff. de verbor. obligat. num. ult. Emmanuel Suar. lib. 1. obſervat. c. 6. Hugo Donell. de pignor. tit. an in omnibus rebus, quæ in bonis ſunt, pignoris obligatio conſiſtat. Cujac. lib. 25. obſervat. c. 6. Pratejus in theſauro juris civilis verbo uſufructus Morla in emporio juris. 1. p. tit. 6. ff. de ſervitut. qu. 1. num. 14. & 15. Surdus conſ. 155. n. 5. & conſ. 184. num. 5. lib. 1. Cephal. conſ. 20. num. 21. lib. 1. Lara l. ſi quis a liberis, §. parens, n. 66. ff. de liber. agnoſ. Caſtillo* latiſſimè *de uſufructu, lib. 1. c. 69. à num. 14. uſque ad 18. Mendez l. cum oporter. 2. part. num. 119. & 120. C. de bonis matern. Molina lib. 1. de primog. c. 19. num. 23. verſ. nec textus, in fin. Felician. de caſibus. l. 2. c. 4. num. 4. Matienzo* dicens in puncto juris hanc eſſe veriorem *lib. 5. recop. tit. 11. l. 13. gloſ. 6. num. 15.* fatetur tamen *Pinellus ibi n. 40. ſtatim in princip. & Caſtillo num. 17.* eum uſumfructum alienatum non duraturum toto vitæ tempore ejus, in quem translatus eſt, ſed ſolo tempore vitæ transferentis. Quia cum uſufructuarius eo ſolo tempore potiatur uſufructu non poteſt plus juris in alium transferre, quam ipſe habeat; *regul. nemo poteſt plus. 79. de regul. jur. in 6.* & ſic vult *eo n. 40. corollario 2.* intelligi verba *l. ſi uſusfructus, 67. ff. de jure dot.* quæ videntur apertè probare contrariam ſententiam, dum ibi dicit Juriſconſultus, nihil tranſire ad extraneum, ſi ei cedatur uſusfructus: ut intelligatur nihil ad eum tranſire quoad effectum conſtituendi in eo novum uſufructum ab ejus vita pendentem, ſed à vita cedentis pendere hoc jus, ejuſque durationem. Addunt autem *Emmanuel Mendez eodem num. 120. Lara. eodem num. 66. Picardo, n. 14. Caſtillo eodem c. 69. num. 20.* ubi & alios refert, & *Felician. eo num. 40.* poſſe jus uſusfructus cedi, & prius dixerat *Gloſ. d. l. arboribus verb. vel donet. in illa 2. ſolut.* quamvis *Pinell. eo num. 40. verſ. ex eiſdem rationibus* dicat eſſe ineptum hoc additum.

14 Poſterior ſententia tenet id non eſſe uſufructuario integrum, atque ceſſionem, venditionem, & quamcumque aliam alienationem uſusfructus ab eo factam, eſſe ipſo jure irritam: at eſſe integrum commoditatem uſusfructus in alium transferre quocumque ex his titulis; & tunc verum uſusfructus jus manere apud vendentem, aut alienantem, at commoditatem apud alium. Ducitur ex *§. fin. inſtit. de uſufructu*, ibi; *Nam cedendo extraneo nihil agitur*. At ſi valeret alienatio, aliquid ageretur, & *l. ſi uſusfructus, 67. ff. de jure dot.* ibi; *ſi extraneo cedatur, id eſt, ei, qui proprietatem non habet, nihil ad eum tranſire, ſed ad dominium proprietatis reverſurum uſumfructum*, & paulò inferiùs: *ut ipſum quidem jus remaneat penes maritum; perceptio verò fructum ad mulierem pertineat*. Quia ſi illud uſusfructus jus poſſet in alium transferri, cùm jam ille poſterior eſſet verus uſufructuarius, & non prior, non extin-

tingueretur is uſusfructus morte prioris, ſed ſola poſterioris morte, ut rectè animadvertit *Juriſconſultus l. neceſſariò, 8. §. fin. ff. de peric. & commod. rei vend.* cùm duratio uſusfructus ex ſola veri uſufructuarii duratione pendeat. At omnes fatentur (& dicemus *n. 19.*) perire eum uſumfructum alienatum morte prioris: ergo non poteſt verum uſusfructus jus alienari, ſed ſola commoditas. Tertiò, quia, cùm uſusfructus ſit ſervitus perſonalis, ac ita inhærens perſonæ, ut in alium tranſire nequeat (ut diximus *n. 5.*) nec poſſit novus uſusfructus conſtitui per uſufructuarium, quippe hic non eſt dominus rei, nullatenus habet uſumfructum, quem in alium transferre valeat. Tandem, quia non eſt novum in jure poſſe commoditatem in alium transferri manente jure apud transferentem, eſſeque ab illo inſeparabile: quippe id contigit in hæreditatis venditore: quamvis enim univerſas res hæreditate acquiſitas vendat, remanet in eo verum hæredis jus, eſtque verus hæres, ac tenetur creditoribus, & legatariis reſpondere, *l. 2. C. de hæred. vel action. vend.* & ibi ſcribentes. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Gloſſ. §. fin. verb. cedendo, inſtitut. de uſufructu, & d. l. neceſſario 8. §. fin. verb. tuum, & l. arboribus, 13. in princip. verb. vel donet in 3. ſolut. & l. uſufructu, 58. verb. interpoſitis, ff. ſoluto matrim. Bart. l. intereſt, ad fin. C. de uſufructu, & l. uſufructus 4. paulò poſt principium. Azor. ſum. ſuper C. & ff. de uſu, & habitat. num. vigeſimo. Bald. l. 1. num. 2. C. ſi pignus pignor. & ibi Additionator verb. alienationem, & l. res quas, num. unico, verſ. quæro hic, C. de jure dot. Cuman. ea l. uſufructu, num. 1. Paulus ibi num. 2. & l. 4. ad fin. ff. de novat. & l. cotem ferro 11. §. fin. num. 5. ff. de publican. & l. qui Romæ. §. duo fratres num. 4. in fine, ff. de verbor obligat. & ibi Alexand. ad fin. Hoſtienſ. c. Raynutius numer. 4. de teſtament. Jaſon. num. 80. Ripa num. 88. Alciatus num. 40. Bartholom. Socinus conſ. 10. num. 13. lib. 1. Corneus conſ. 218. in fine, lib. 3. Pariſ. conſ. 71. n. 3. lib. 2. Anchar. conſ. 106. num. 7. Fulgoſ. l. ſi is, qui §. fin. num. 4. ff. pignor. Alexander de nevo c. nuper, num. 6. de donat. inter vir. & uxor. Ripa l. obligatione, num. 7. ff. de pign. Matthæus de Afflict. lib. 3. conſtit. rubr. 5. num. 19. Faber inſt. de uſufructu, §. finitur n. 1. & 2. & §. item finitur, num. 2. & ibi Cujacius verſic. nihil agitur, & in notis ad Ulpianum, tit. 39. verſ. uſusfruct. Neguſant de pign. 3. membro part. 2. num. 3. Hermanot. l. naturaliter §. nihil commune, num. 8. ff. de acquirend. poſſeſſ. & ibi Fab. Achorambon. num. 32. Balduin. inſt. de uſufruct. §. finitur, num. 16. uſque ad 18. & ibi Platea n. 13. & 14. Angel. 14. n. 1. & 2. Claudius Cantiuncul. in paraphraſi ad inſtit. tit. de uſufruct. quadrupæci pagina ante fin. Mynſiger. ibi n. 7. Tiraquel.* alios referens *de retractu lignagier. §. 26. gloſſ. 1. n. 46. Nicolaus Superant. addit ad Portium, eod. §. finitur n. 4. Baptiſt. de privileg. dotal. centur. 3. num. 21. & 22. Redoan. tract. de rebus eccleſ. non alien. qu. 15. à num. 2. uſque ad 12. Loazes l. filiusfamilias, §. Divi num. 17. ff. de legat. 1. Fabian. tract. de empt. & vend. in quæſt. 4. principali quæſt. 21. num. 53. Gregor. Lopez l. 24. verb. el derecho tit. 32. part. 3. Angel. ſumma, verb. uſusfructus num. ult. & ibi Tabiena in fine, Covar. lib. 1. variar. c. 8. num. 7. Cavalcan. de uſufructu mulieri relicto, num. 66. Anton. Gomez 2. tomo variar. reſolut. c. 15. num. 15. & l. 70. & Tauri num. 33. Sarmiento lib. 3. ſelectar. c. 9. num. 2. & 3. Martin. Monter. in deciſionib. regni Aragon. deciſ. 40. à n. 9. & n. 22. & 55. Gama deciſione 299. n. 1. & 2. Menchaca de ſucceſſ. creatione, lib. 1. §. 7. num. 40. Horoſc. l. ſi tibi decem, §. pactum, n. 2. ff. de pactis, Surd. de aliment. tit. 8. privileg. 43. num. 6. Queſada in ſuis quæſt. juris, c. ult. num. 16. Hieron. Gabr. conſ. 192. n. 11. & 14. vol. 2. Cephal. conſ. 436. n. 109. vol. 3. Rimin. conſ. 436. n. 12. vol. 4. Barboſa d. l. uſufructu, n. 1. in fine, & 2. Joan. Garzia de expenſis c. 10. n. 39. Molina Societatis Jeſu tom. 1. de juſt. diſp. 7. col. 5. verſ. licèt proprietarius Spino ſpecul. teſtam. gloſſ. 13. principali n. 61. & 62. Sayro theſauro caſuum, tomo 2. lib. 9. c. 30. num. 10. Fachin. lib. 6. controverſ. juris, c. 12. verſ. ego puto.* Immo nec actio ad jus uſufructus nondum conſtitui poteſt cedi, aut vendi, *Bart. l. ſi uſusfructus, 4. paulò poſt princip. ff. de novat. Faber inſtit. de uſufructu, §. finitur n. 1. & 2. Angel. ibi n. 2. verſ. in gloſ. 1.*

15 Ex his ſententis hæc poſterior multò magis mihi placet etiam ſtando in jure communi; atque in hoc regno Caſtellæ eſt certa, ut benè animadvertunt *Jo. Garzia de expenſ. c. 10. num. 33. Matienzo lib. 5. recop. tit. 11. l. 13. gloſſ. 3. num. 15.* quia communem ſententiam approbavit *l. reg. 24. tit. 31. p. 3.* ibi: *ca como quer que eſt ta que ha el uſofruto en la coſa, lo podria arrender à otro ſi quiſieſſe, con todo eſſo el derecho que en ello avia, no lo puede enagenar*. Nec obſtant leges contrarium probantes adductæ *num. 13.* quippe eæ omnes intelligendæ ſunt non de vero uſusfructus jure, ſed de ejus commoditate, quàm alienari poſſe oſtendimus *num. præced.* Quæ quidem expoſitio inde conſtat, quia omnes ii textus eò tendunt, ut conſtituant diſcrimen inter uſufructuarium, ut conſtat ex *inſt. de uſu, & habitatione, in fine princip.* quod in eo conſiſtit, quod uſurarius mero potiatur uſu, nullam alienandi facultatem habens: uſufructuarius autem habeat facultatem, non quidem juris uſusfructus, id enim eſt proprium domini proprietatis; ſed habet facultatem alienandæ commoditatis illius uſusfructus: quare eſt medius inter dominum, & uſurarium.

16 Quamvis autem nequeat uſusfructuarius jus uſusfructus alienare, poteſt tamen illud locare, ut conſtat ex *l. regia 24.* cujus verba allegavimus *n. præcedenti*, ibi, *con todo eſo el der echo que en ello avia, lo podria arrendar*. Et ratio eſt, quia locatio non eſt alienatio: & ita prohibitus alienare, obligare, vel vendere, poteſt locare, ut tradit *Gloſſ. Clement. 1. in verb. locationes, de rebus eccleſ. non alienand.* & latiùs probant *Tiraquel. in princip. de retract. lignagier. §. 1. gloſſ. 14. n. 79. & 80.* & latiſſimè *Velaſc. de jure emphyteut. tota qu. 29.* Atque ita docent *Caſtillo de uſufructu, lib. 1. c. 69. in fine, Jo. Garzia de expenſ. c. 10. n. 31.* qui benè ait hoc verum eſſe, ſive locatio ſit ad breve, ſive ad longum tempus; tum quia lex regia indefinitè loquitur: tum etiam quia locatio ad longum tempus non eſt alienatio; ut ibi cum aliis probat contra *Alvarum Velaſc.* Quare minus bene *Spino ſpecul. de teſtam. gloſſ. 13. principali n. 63.* dixit, nec locari poſſe jus illud uſusfructus. Non tamen poteſt jus uſusfructus dari pignori, vel hypothecæ. Quare *l. ſi is, qui, 11. §. fin. ff. de pignor.* quæ contrarium probat, intelligenda eſt quoad uſusfructus commoditatem, quippe illud jus à perſona inſeparabile nequit jure pignoris, aut alio modo in alium transferri, ſicut nec alienari. Quia, quæ alienari nequeunt, ſimiliter nec pignori, hypothecæve ſubjici valent, ut expreſsè deciditur *l. fin. C. de reb. eccleſ. non alienand. & l. 1. §. eam rem ff. quæ res pignor.* & ſic alios referens, & latiùs probans tradit *Barboſa l. uſufructu, 58. n. 7. ff. ſoluto matrim.*

17 Monuerim tamen quoties uſusfructus venditur, aut quomodocumque transfertur in aliquem tertium, ſolam illius commoditatem cenſeri venditam, aut translatam, niſi aliunde apertè conſtet contrarium; quia, cùm ſemper in dubio pro actus valore præſumptio capienda ſit, & translatio juris uſusfructus ſit irrita, præſumendum eſt, ut actus valeat, ſolam commoditatem vendi, aut transferri. Atque ita docent *Bald. l. neceſſariò, 8. §. fin. n. unico, verſ. & adverte, ff. de peric. & commod. rei vend. & l. 1. n. 2. C. ſi pignor. Barthol. Socinus conſ. 66. n. 7. vol. 3. Curt. junior conſ. 142. num. 15. volum. unico, Imola l. uſufructus 58. num. 2. in fine, ff. ſolut. matrim. Aretinus l. filius à patre colum. 5. ff. de liber. & poſth. Aymon conſ. 52. num. 5. volum. 1. & conſ. 222. num. 8. & 9. vol. 2. Covar. lib. 1. variar. reſolut. c. 8. num. 7. Greg. Lopez l. 24. verb. el derecho, tit. 31. part. 3. Gama deciſ. 299. nu. 2. Cavalcanus de uſufructu mulieri relicto, num. 67. Barboſa* alios referens *ea l. uſufructu, n. 3. & n. 5. in fin. & n. 6. Joan. Garzia de expenſ. c. 10. n. 41. Molina tomo 1. de juſt. diſp. 7. in fine Rebel. de juſt. p. 1. lib. 1. quæſt. 7. ſect. 2. n. 19.* Quod adeò verum eſt, ut quamvis uſufructuarius vendat rem ipſam, cujus proprietas ad alium ſpectat, non cenſeatur vendere uſumfructum, aut rem, quæ non eſt ſua, ſed commoditatem; quam in ea habet: ſicut, ſi pater vendat adventitia filii, ut bene tradunt alios referentes *Covar. & Molina ibid. Hondedeus conſ. 19. n. 21. vol. 2.* Immo quamvis dicat ſe vendere uſumfructum, vel jus utendi, & fruendi, quod habet in re, eſt interpretandum adverſus verborum proprietatem, de commoditate, quam habet ex eo uſufructu, ut actus valeat. Atque ita tradunt *Barboſa* latiùs probans, *& Joan. Garzia proximè allegati*. Secus autem eſſet, ſi venditor explicaret ſe vendere jus utendi, & fruendi eo modo, quo illud habet: tunc enim conſtaret de voluntate vendendi juris, & ſic venditio eſſet nulla, ut benè tradit *Barboſa eo num. 6.* Similiter de eadem voluntate conſtaret, & venditio eſſet nulla, ſi diceret ſe vendere univerſum jus uſufructus, quod habet, vel totum jus uſusfructus, quod habet, vel quidquid juris habet. Et denique, ſi univerſali nomine jus uſufructus vendatur: quippe tunc ex univerſalis natura totum uſufructus jus cenſetur venditum; ſecus ſi indefinitè vendatur uſufructus, quod ea locutio indefinita non ſit explicanda, ut æquipolleat univerſali, quò valor actus ſuſtineatur. Atque ita benè docet *Joan. Garzia eo n. 41.*

18 Ex his deducitur latum eſſe diſcrimen inter uſumfructum, & ejus commoditatem, quia verus uſufructus conceſſus à domino proprietatis non extinguitur morte domini concedentis, ſed ſolius uſufructuarii morte, *§. fin. inſtit. de uſufructu*. At commoditas uſusfructus perit morte uſufructuarii illam transferentis, non autem morte ejus, in quem transfertur; ſed ad ejus hæredes tranſibit, dum vixerit uſufructuarius ille, ut conſtat ex *l. neceſſariò, 8. §. finali, ff. de peric. & commod. rei vend. & ibi Gloſſ. verb. tuum, & verb. nihil, Alexand. de Nevo c. nuper, n. 6. de donat. inter vir. & uxor. Roman. l. uſusfructu, 58. num. 1. ff. ſolut. matrim. Anton. Gomez tom. 2. variar. c. 15. n. 15. ad fin. Sarmiento lib. 3. ſelectar. c. 9. n. 2. Barboſa d. l. uſufructu, n. 6. & 7. Joann. Garzia de expenſ. cap. 10. n. 36.* & hoc idem concedunt Doctores contrariæ opinionis, ut adverti *n. 13.* Et ratio eſt, quia cùm illa commoditas non ſit verus uſufructus, ſed illius effectus, non pendet ejus duratio à vita ejus, in quem tranſlata eſt, quod uſusfructus eſt proprium, ſed pendet à vita uſufructuarii, quippe tunc extinguitur uſusfructus, & conſequenter ejus commoditas.

19 Dum autem dicimus uſusfructus commoditatem translatam in alium extingui morte uſufructuarii transferentis, non autem ejus, in quem translata eſt, intelligendum eſt, niſi tranſtulerit uſumfructum ex domini proprietatis conſenſu: tunc enim durabit toto, & ſolo vitæ tempore ejus, in quem transfertur; nec de morte transferentis, aut de ejus vita curabitur, ut conſtat ex *leg. ſi uſusfructus 4. ff. de novation.* Et ratio eſt, quia, ut dixi *numer. 5.* tunc conſtituitur novus uſusfructus in perſona ejus, in quem transfertur, & ideo à ſola ejus vita pendet. Et ita tradunt *Gloſſ. l. uſufruct. 58. verb. conſtituitur, ff. ſoluto matrim. & ibi Platea nu. 15. Imola num. 5. Bart. l. ſi uſusfructus in fine, & ibi Bald. in fin. ff. de novat. Nicolaus Su-*

perant: Addit ad Portium inſtit. de uſufruct. §. final. num. 4. Barboſa d. l. uſufruct. num. 5. Claud. Cantiuncul. infra, Pinell. l. 1. p. 3. n. 40. verſ. ſed d. c. nuper C. de bonis matern. Anton. Gomez t. 2. variar. reſol. c. 15. num. 15. Sed hoc limitant aliqui, ut intelligatur, quando transferenti nondum erat traditus uſusfructus, ſed competebat actio ad illum, quia, cùm ſola actione competenti incipiat uſufructus in perſona ceſſionarii, nec in cedentis perſona incæperit, non pendet à vita cedentis, ſed ceſſionarii. Secus in primo caſu & ita docet Gloſſa, ſic intelligens illum textum ea l. ſi uſusfructus, 4. verbo ejus, & inſtitut. de uſufruct. §. finali, verb. Morte, & l. neceſſariò, 8. in fine, ff. de pericul. & commod. rei vend. Sed jure optimò hanc limitationem reprobant Bart. l. ſi uſusfructus 4. paulo poſt principium, ff. de novat. Pinell. proximè allegatus, & Claud. Cantiuncula. Quia cùm ſemper novus uſusfructus conſtituatur in perſona hujus ceſſionarii operante id domini proprietatis conſenſu in illam translationem, ſemper pendebit ex ſola hujus ceſſionarii vita. Nec quicquam refert, an in cedente conſtitutus ſit, an ſolam in illum conſtituendum actionem habuerit. Doctrinam verò, quæ aſſerit perire uſumfructum, quando de conſenſu domini proprietatis transfertur actio, tenet Faber inſtitut. de uſufruct. §. finitur, n. 2. & hic num. 2. & 3. Gloſſæ limitationem ſequitur, cum hoc tamen addito, quando de conſenſu domini actio periit morte ceſſionarii: ſi autem de conſenſu domini venditur uſusfructus, ſi ſimpliciter conceſſit, periit morte cedentis; ſi verò non ſimpliciter, ſed agendo, & quaſi conſtituendo uſumfructum de novo, tunc periit morte ceſſionarii.

20 Ultima difficultas eſt, an uſufructuarius alienans illud uſusfructus jus, eo ipſo illud amittat, & ad dominum proprietatii redeat? Duplex eſt ſententia. Prior ait, eo ipſo amittere, & redire ad dominum proprietatis. Ducitur ex l. ſi uſusfruct. 67. ff. de jure dot. ibi; ſi extraneo cedatur, id eſt ei, qui proprietatem non habet, nihil ad eum tranſire, ſed ad dominium proprietatis reverſurum uſumfructum. Atque ita docent Gloſſa ibi verb. uſumfructum, & inſtit. de uſufruct. §. final. verb. cedendo, Bald. l. res quas, 26. num. unico, verſ. quaro hic, C. de jure dot. Jaſ. l. qui Romæ, §. duo fratres, numero 80. ff. de verbor. obligation. & ibi Ripa num. 88. Faber inſtit. de uſufruct. §. final. in fine, Gregor. Lopez l. 24. verb. el derecho, tit. 31. part. 3. Covar. lib. 1. variar. reſolut. cap. 8. num. 7. Baptiſta de privileg. dotal. centur. 3. num. 21. & 22. Cuiac. ubi ſuprà, Anton. Gomez l. 70. Tauri, num. 33. & tomo 2. variar. cap. 15. num. 15. Cavalcan. de uſufruct. mulieri relicto, num. 60. Martin. Monter in deciſ. regni Aragoniæ, deciſ. 46. à numero nono, Matienzo, lib. 5. recopil. tit. 11. l. 13. gloſ. 3. num. 14. Spino ſpecul. teſtament. gloſ. 13. princ. num. 63. Claud. Cantiuncul. in paraphraſi ad inſtit. tit. de uſufruct. quadruplici pagina ante finem, Faber inſtit. eodem tit. §. finitur, num. 2. & §. item finitur, num. 2. Peregrin. conſ. 97. num. 19. volum. 1. Sayro in clavi regia, lib. 9. cap. 3. num. 10. Hondedeus conſ. 19. num. 21. vol. 2. Molina t. 1. de juſtitia diſp. 7. col. 5. verſ. licet proprietarius, Morla emporio juris, 1. parte, tit. 6. ff. de ſervitut. quæſt. 1. num. 15. in fine, & multi alii, quos referunt Pinell. l. 1. p. 3. num. 38. C. de bon. maternis & Portol. tract. de conſort. c. 8. num. 15. Et eamdem ſententiam ſuſtinent Mendez l. cùm oportet p. 2. num. 119. & 120. C. de bonis, quæ liber. Card. l. ſi quis à liberis, §. parens, num. 70. & 71. ff. de liberis agnoſcend. quando transfertur uſusfructus in alium per ceſſionem: nam aliis modis transferri poſſe retulimus ex ipſis num. 13. Limitant Bald. & Greg. Lopez ibidem, & Mendez eo. num. 120. quando transferens tradidit profeſſionem; ſecus ſi non tradidit. Quia, dum non tradidit uſumfructum, nondum eſt ſeparatus à perſona uſufructuarii.

21 Poſterior ſententia ait nequaquam amitti uſumfructum, ſed cùm translatio non valeat, remanere apud ipſummet uſufructuarium, donec morte, vel aliis modis jure ſtatutis illum amittat. Ducitur ex §. fin. inſt. de uſufruct. ibi: finitur uſusfructus, ſi domino proprietatis ab uſufructuario cedatur. Nam cedendo extraneo nihil agitur. Nec valet intelligere textum, ut nihil agatur quoad translationem uſusfructus in alium, agatur tamen aliquid quoad uſusfructus amiſſionem, ut textum hunc intellexit Gloſſa l. ſi uſusfructus, 67. verb. uſumfructum, ff. de jure dot. Nam hæc expoſitio eſt apertè contra textum; quippe ineptè, & valde impropriè loqueretur, ſi vellet diceret amitti uſumfructum per illam ceſſionem in extraneum, ſi idem enim ſignificare vellet, deberet adjungere amitti quoque per ceſſionem in extraneum, quod minimè dixit, ſed per ceſſionem id dominium amitti; per ceſſionem autem in extraneo nihil agi. Secundò, quia cùm illa ceſſio ſit prorſus irrita, ſuccedit regula tradita à Baldo communiter recepta l. 2. num. 3. C. de Epiſcopali audient. quæſtione dicta, per alienationem inutilem non amitti jus proprium nec præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum; regul. non præſtat, de reg. jur. in 6. Nec obſtat l. ſi uſusfructus, cui nititur contraria ſententia: quippe in illa lege principaliter intendit Juriſconſultus, ceſſionem ab uſufructuario factam nihil prorſus nocere proprietario, nec impedire, quin uſusfructus ad ipſum redeat; ſed hic reditus non erit ſtatim, ſed ſuo tempore, nimirum quando uſusfructus perdetur, vel morte uſufructuarii, vel aliis modis jure ſtatutis. Et ideo hujus ſententiæ ſunt omnes illi præter Mendez, quos retulimus numero decimotertio, dicentes uſumfructum poſſe impunè vendi. Et quamvis Caſtillo de uſufruct. lib. 1. c. 69. dixerit poſſe uſumfructum alio modo alienari, quàm per ceſſionem, ut ibi retulimus, fatetur tamen num. 22. uſque ad 25. etiamſi per ceſſionem transferatur non amitti uſumfructum. Præterea hanc ſententiam tenent Gloſſa l. arboribus, 13. verb. vel denet, in ultima ſolutione, ff. de uſufruct. & quem ad quis utatur, Azor in ſumma, ſuper C. tit. de uſu, & habitat num. 20. Aret. l. qui Romæ, §. duo fratres, numero 29. ff. de verbor. obligat. Balduin. inſtit. de uſufruct. §. finetur, num. 16. & ibi Mynſing. num. 7. Joann. Garzia de expenſ. cap. 10. num. 37. Barboſa l. uſufruct. 58. num. 4. ff. ſoluto matrim. Rebell. de juſt. p. 1. lib. 1. quæſt. 7. ſect. 2. num. 18.

22 Poſterior hæc ſententia eſt probabilior, attento jure communi. At in hoc Caſtellæ regno eſt amplectenda prior, quia approbata eſt l. reg. 24. tit. 31. par. 3. ibi: Otro ſi dezimos que ſi aquel aquien otorgado el uſofruto, o uſo en la coſa, otorgaſſe deſpues à otro alguno el derecho que avia en ella, que ſe deſata por ende el uſofruto, o el uſu, y tornaſe por ende al ſennor de la propriedad, e de alli à delante no lo deve haver, nil en otro aquien lo el torgo. Atque ita Caſtillo eo. cap. 69. n. 23. in fin. & Joan. Garzia eo cap. 10. n. 37. dixerunt conditores hujus legis magis ſequutos opinionem Azonis, quàm rigorem juris communis. Sed admittenda quoque eſt limitatio, quam n. 19. in fine, attulimus ex Baldo, & Greg. Lopez.

SUMMARIUM.

Qualiter authenth. presbyteros, C. de Epiſcop. & cleric. diſponens, ut à clericis acquiſita ſint quaſi caſtrenſia, vim legis habeat, num. 23.
Quotuplex ſit filiifamilias peculium, num. 24.
An bona adventitia acquiſita à clericis ante clericatum, efficiantur quaſi caſtrenſia clericatu aſſumpto, aut Epiſcopatu, & perdat pater uſumfructum eorum? refertur quædam ſententia, num. 25.
Explicatur ſententia auctoris, num. 26.
An bona profectitia acquiſita à clericis ſint quaſi caſtrenſia? refertur quædam ſententia, num. 27.
Explicatur ſententia auctoris, num. 28.
Explicatur l. 3. titul. 21. parte prima, & quando donata per patrem clerico filiofamilias, vel tamquam patrimonium, ut ad ordines promoveatur, ſint quaſi caſtrenſia, num. 29.
An omnia adventitia acquiſita poſt clericatum ſint quaſi caſtrenſia? refertur quædam ſententia, num. 30.
Sententia auctoris, num. 31.
An hoc privilegium intelligatur de omnibus clericis, etiam prima tonſura? refertur quædam ſententia, num. 32.
Sententia auctoris, num. 33.
An oporteat clericos prima tonſura, aut minorum ordinum, ut fruantur hoc privilegio, habere omnia requiſita in Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat. & fruantur privilegio fori? & an omnia illa requirantur, ut fruantur reliquis clericorum privilegiis? Refertur quædam ſententia, num. 34.
Explicatur ſententia auctoris, num. 35.
An hoc privilegium habeat locum in clericis conjugatis? num. 36.

23 QUæſtio ſecunda. Quale peculium ſint bona acquiſita à filio familias clerico. Anſam dubitndi præbet nobis textus §. presbyteros authent. de ſanctiſſ. Epiſcop. unde deſumitur authenth. presbyteros, la 1. C. de Epiſcop. & cler. ubi ſic habetur. Presbyteros autem, diaconos, & ſubdiaconos, cantores, & lectores, quos omnes clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub ſua poteſtate præcipimus, ad ſimilitudinem caſtrenſium peculiorum, & donare ſecundum leges, & in his teſtari, licèt ſub parentum ſint poteſtate. Quod idem privilegium indultum eſt l. ſacroſancta 32. C. de Epiſcop. & cler. Sed hic textus de ſolis Epiſcopis, presbyteris, & diaconis agebat. Verùm, ut advertit ibi Gloſſa verb. diaconi, idem ad alios clericos extenſum eſt d. authent. presb. Sed adverſus hanc deciſionem inſurgit Decius l. ſenium, in nova edit. numero decimoquarto, C. qui teſtament. fac. poſſ. dicens non habere vim legis ex defectu poteſtatis. Quia, quamvis clericis ſit favorabilis, at leges ſpecialem clericorum mentionem facientes, qualis eſt hæc, quamtumvis favorabiles ſint, non habent vim legum, ut diximus hoc libro ſeptimo, cap. duodecimo numero decimo octavo. Si dicas approbari eam deciſionem cap. quia nos de teſtament. & ideo ex hac approbatione juris canonici obtinere vim. Reſpondet Decius ibi non conſtare loqui de filiofamilias illum textum diſponentem poſſe clericum teſtari de bonis aliunde, quàm ex eccleſiaſtico titulo acquiſitis. Item, quia ille textus, ut ex ejus tenore conſtat, non intendit ampliare poteſtatem teſtandi quoad perſonas, ſed potius illam reſtringere quoad bona. Itaque de perſonis non curat, ſed tantùm decidit facultatem teſtandi, ſi qua clericis competat eam ad ſola bona profana extendi, non autem ad bona intuitu Eccleſiæ acquiſita. Et ideo non dicendum eſt, textum inductum ad minuendam facultatem, eam augere quoad perſonas. Quæ enim ad dimiuutionem inducuntur, non operantur augmentum, l. legata inutiliter, ff. de adimend. legat. Cæterùm jure optimo docent cavendum ab hac doctrina Caldas l. ſi curatorem verb. læſis numero 105. verſ. denique infer nt, C. de integrum reſtitut. & Mendez l. cùm oportet, 4. part. numero 166. C. de bonis, quæ liber. Quia, ut probavimus cum Menchaca, & aliis ſuprà cap. 12. num. quarto, eæ omnes leges

ges vim habent ex tacita Pontificum, & Eccleſiæ approbatione. Quamvis fatear cum Decio eum textum c. quia nos non rectè induci ad probandam hanc confirmationem.

24 Ad intellectum hujus deciſionis præmittendum eſt, quadruplex eſſe filiifamilias peculium, cujus meminit lex regia 5. tit. decimoſeptimo, part. 4. nempè caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, adventitium, & profectitium. Dicitur caſtrenſe, quia caſtris acquiſitum: quaſi caſtrenſe dicitur, quod ex publico aliquo officio acquiritur; ſicque dicitur, quando quaſi in caſtris acquiritur: munera enim publica cenſentur quaſi militaria. Et hoc ſimiliter eſt filiifamilias quoad proprietatem, & uſumfructum. Adventitium dicitur, quod neque ex bello, nec ex officio publico, nec ex bonis paternis, nec ejus occaſione comparatur, ſed aliunde, ut donatione, legato, ſucceſſione materna, opera propria, aut artificio &c. acquiritur. Dicitur autem adventitium, quaſi aliunde, quàm ex paterna ſubſtantia proveniens. Et hoc eſt filii quoad proprietatem, ſed patris quoad uſumfructum. Tandem profectitium eſt, quod pecuniis, aut rebus patris, aut patris ſubſtantia profectum. Et hoc omninò pertinet ad patrem tam quoad proprietatem, quam quoad uſumfructum.

25 Hoc præmiſſo, dubitatur primò circa deciſionem hujus authenticæ, an locum habeat in bonis adventitiis filiifamilias ante clericatum acquiſitis, ita ut clericatu aſſumpto efficiantur quaſi caſtrenſia, & ſubinde pater illorum uſumfructum ante comparatum amittat? Quidam affirmant, dicentes fortè ita eſſe. Atque probari poteſt, quippe à matrimonio carnali ad ſpirituale optimè ducitur argumentum, capit. quoniam frequenter, §. porro ut lite non conſtet, & aliis adductis probat latè Everardus in ſuis Topicis, loco à matrimonio carnali, num. 1. ſed per matrimonium carnale filiifamilias ſequutis Eccleſiæ benedictionibus amittit pater uſumfructum, quem in adventitia ejus bona habebat, l. reg. 48. Tauri, quæ hodie eſt l. 9. tit. 1. lib. 5. recopil. ergo idem tribuendum eſt clericatui, qui matrimonium ſpirituale eſt. Secundo probatur, quia ead. authent. presbyteros, videtur generaliter loqui, ibi: res quomodolibet ad eorum dominium venientes. Hanc ſententiam non in propriis terminis, ſed in alio omninò ſimili, tuentur Abbas, & alii, quos referemus numero trigeſimo octavo. Ajunt enim fortè per religionis profeſſionem, adventitia ante ingreſſum acquiſita affici quaſi caſtrenſia, & patrem privari uſufructu eorum. Quare idem dicerent de clericatus aſſumptione; quippe eadem eſt ratio. Atque Navar. ſumma Latina, & Hiſpana cap. 37. numer. 142. videtur dubitaſſe: ait enim quaſi caſtrenſia eſſe ſaltem acquiſita poſt clericatum.

26 Cæterùm ab hac ſententia eſt omninò recedendum, & dicendum, ea bona manere adhuc adventitia, retinereque patrem uſumfructum eorum. Ducor primò, quia etſi ea authentica ita generaliter videatur loqui; at eſt intelligenda, quo vitetur præjudicium paternum, quod vitandum ibi cavetur, dum diſponitur ejus legitimam non minuendam, juxta l. ſacroſancta, 33. C. de Epiſcop. & cler. quæ expreſsè loquitur de acquiſitis poſt clericatum, ibi; ea quæcumque in eodem clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint. Præterea quia etiam d. auth. presbyteros, de his ſolis bonis loquitur, ibi: ad dominium eorum venientes, nempe clericorum, de quibus loquitur. Ergo agit de acquiſitis per clericos. Cùm qualitas adjuncta verba ſit juxta tempus verbi intelligenda, l. in delictis §. ſi damnum in extraneis, ff. de noxal. Tandem, quia cùm per clericatum non ceſſet patria poteſtas juxta frequentiſſimam, ac veriſſimam ſententiam, non eſt cur ceſſet uſusfructus antea acquiſitus, eo vel maximè quod eſto ceſſaret, non ceſſaret ſubinde uſusfructus ille. Nam Epiſcopatu aſſumpto ceſſat patria poteſtas, nec tamen extinguitur uſusfructus in bonis illius filiifamilias antea à patre acquiſitus, ut optimè docent Berojus, Aſcanius Clemens, Pinell. Anton. Gomez, Surdus, Matienzo ſtatim allegandi. Et profeſſione religionis ſimiliter ſolvitur patria poteſtas, & retinet adhuc uſumfructum bonorum antea acquiſitorum, ut oſtendemus numero trigeſimonono, & ibi rationem trademus. Et ideo omnes Doctores, quos ibi pro ea ſententia referemus ſunt à fortiori hujus ſententiæ. Atque in propriis terminis eam docent Paul. d. l. ſacroſancta, numero primo, Decius cap. in præſentia, in nova editione, à num. 249. uſque ad 252. de probat. & ibi Pariſ. numer. 156. initio, Joan. Lup. rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 42. num. 13. & 14. Berojus deciſ. 122. num. 33. Mantua dicto c. in præſentia, num. 66. Navar. comment. 2. num. 55. de regular. Covar. cap. quia nos, num. 2. de teſtament. Tello l. 5. Tauri, num. 4. Pinell. l. 1. p. 1. num. 42. verſ. 9. ampliatur, & num. 43. C. de bonis mater. Aſcanius Clemens de patria poteſtate, effectu 2. numer. 34. verſ. 7. ampliat. Anton. Gomez. l. 48. Tauri, num. 6. ad fin. Molina lib. 1. de primog. cap. 19. num. 28. Suarez in q. majoricatus, num. 37. & 38. Perez l. 1. titul. 3. lib. 1. ordin. §. eſt etiam aliud clericis privilegium, fol. 65. Surdus de aliment. tit. 9. quæſt. 20. num. 34. Matienzo libr. 5. recopil. tit. 1. l. 9. gloſ. 2. num. 2. & 12. in fine. Molina Societatis JESU tom. 1. de juſt. diſp. 138. col. penult. verſ. dicendum tamen, Azor. tomo 2. inſt. moral. lib. 2. c. 23. q. 9. Salzedo addit. ad practicam Bernardi Diaz c. 132. litera G. Azebedo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 8. nu. 16. Mendez l. cum oportet, p. 4. num. 164. C. de bonis quæ liber. Benedict. Egidius l. 1. p. 1. §. 7. num. 10. ad finem, C. de ſacroſ. Eccleſ. Nec obſtant rationes contrariæ. Nam ad 1. dic id argumentum procedere, ubi in utroque matrimonio eadem eſt ratio, ut bene probat Everardus eodem loco ab argumento carnali, num. 9. At in præſenti conſtat diverſitas rationis, quippe filio ducenti uxorem redditur is uſusfructus, quo liberos procreare, ac matrimonii onera ſuſtinere poſſit, quod ceſſat in matrimonio ſpirituali. Ad ſecundam conſtat ex dictis.

27 Secundo dubitatur, an deciſio ejus authenticæ locum habeat in bonis profectitiis poſt clericatum à filiofamilias acquiſitis, ita ut ea cenſeantur quaſi caſtrenſia? Videtur enim pars affirmans: quia prædicta authentica generaliter videtur loqui, ibi; res quomodolibet. Præterea quia lex regia 3. in fine, tit. 21. p. 1. id expreſſis verbis videtur indicare ibi; puedendos clerigos fazer teſtamento de las coſas que le dieren ſus padres eſtando en poder dellos. At conſtat hæc quaſi ex patris ſubſtantia profecta eſſe profectitia. Atque hujus ſententiæ videtur clarè Anton. c. quia nos in fine de teſtam. ubi dicit clericum filiumfamilias poſſe teſtari de iis, quæ à patre acquiſivit. Et idem videntur clarè ſentire Jaſon l. filiæ licet, nu. 7. C. de collat. Rebuff. de privileg. ſcholaſt. privileg. 55. num. 4. Gerard. ſingulari 54. tene menti, Gomez Arias l 27. Tauri num. 102. & Roland. conſ. 16. num. 5. & 6. vol. 4. Ajunt enim quæcumque donata per patrem filiofamilias clerico, effici quaſi caſtrenſia.

28 At omnino tenendum eſt, nihil prorſus immutandum eſſe circa peculium profectitium, ſed ea omnia, quæ acquiſita à filiofamilias laico eſſent profectitia, eſſe quoque talia, ſi ab ipſo effecto clerico acquirantur, ac proinde ea omnia fore patris quoad proprietatem, & uſumfructum. Ducor, quod prædicta authentica non de omnibus clerici bonis loquatur, ſed de ſolis illis, quorum clericus dominium acquirit, ibi, res ad eorum dominium venientes. At peculii profectitii non acquiritur filiofamilias dominium. Secundò, quia Doctores, ut videbimus num. 31. ſolis bonis clericorum adventitiis id privilegium, ut ſint quaſi caſtrenſia, concedi arbitrantur, immo multi, ut videbimus num. 30. nec omnibus adventitiis id concedunt. Et ideo hanc partem ſuſtinent Abb. rubr. de pecul. cleric. num. 2. Butrigarius l. ſacroſancta paulo poſt princ. C. de Epiſcop. & cleric. Ripa l. in quartam num. 171. ff. ad l. Falcidiam. Sylveſt. verb. peculium 1. q. 2. ad finem, Tabiena verb. pecul. q. 1. num. 2. Covar. capit. quia nos, num. 1. de teſtament. Gregor. Lopez l. 2. in fine tit. 21. p. 1. Mendez l. cum oportet p. 4. numer. 162. & 163. C. de bonis, quæ lib. Caldas l. ſi curatorem verb. læſis num. 103. C. de integrum reſtitut.

29 Maximè tamen in contrarium urget lex regia 3. tit. 21. p. 1. quam num. 27. pro contraria parte retulimus. Et ideo Cald. num. præced. allegatus titubavit dicens valde innui in ea lege contrariam ſententiam, & tandem concludit, ne corrigantur jura, & ne infringatur jus patriæ poteſtatis, intelligendam eſſe eam legem de his bonis, quæ pater filiofamilias clerico donat intuitu clericatus, ea enim ſunt quaſi caſtrenſia; quod idem docent Covar. num. præced. allegatus, Mendez eadem p. 4. num. 164. Atque dicendum eſt de iis, quæ illi pater donavit, ut eſſent patrimonium, ad cujus titulum ad ordines promoveretur, ut alios allegans docet Caldas ibid. & Mendez num. 165. Molina tomo 1. de juſtit. diſp. 138. col. penult. verſ. dicendum tamen eſt, & diſp 231. col. 2. verſ. item quaſi caſtrenſia, & tom. 3. diſp. 603. n. 1. quod bene limitat Mendez, quando cauſa ſubſecuta eſt. Si enim receptio ordinum non ſubſequeretur, ea bona non eſſent peculium quaſi caſtrenſe, ſed redirent ad patrem, tamquam cauſa non ſubſequuta. Item Molina ead. diſp. 231. col. 2. verſ. item quaſi caſtrenſia, limitat, dummodo ſint data ab alio, quam à patre. Sed paulo inferiùs explicat dicens ſe limitaſſe, dummodo, &c. quia licèt eorum, quæ ad idem patrimonium ſunt donata à parentibus, habeat dominium, uſumfructum, & plenam adminiſtrationem, catenus tamen inter profectitia computantur, ut inſtar profectitiorum teneatur ea cum aliis tribus ad portionem adducere.

30 Tertiò dubitatur, an deciſio ejus authenticæ locum habeat in omnibus adventitiis acquiſitis à filiofamilias poſt clericatum. Qua in re duplex eſt ſententia. Prior ſuſtinet ſola acquiſita à clerico intuitu, & ratione ordinis clericalis, cenſeri caſtrenſia: in cæteris autem adventitiis nil diſtare inter clericum, & laicum, quia licèt d. authen. presbyteros generaliter loquatur, debet reſtringi ad bona acquiſita à clerico tamquam à clerico; quia reliqua bona inſtar laicorum acquirit, ac proinde non propriè acquiſita à clerico dicuntur. Et confirmatur, quia hæc bona dicuntur quaſi caſtrenſia ad ſimilitudinem caſtrenſium, quæ à militibus in caſtris acquiruntur. At caſtrenſia non ſunt quæcumque à militibus acquiſita, ſed ea ſola, quæ occaſione militiæ comparantur, alias non comparanda, ut habetur expreſsè in l. caſtrenſe 11. de caſtrenſi peculio. Ergo ſimiliter, &c. Et ideo in hanc ſententiam, quamvis dubitans inclinat Ananias c. quia nos, num. 8. de teſtament. & illi favent Odofred. Bart. Alber. Salycetus l. ſacroſancta, ſtatim in princ. C. de Epiſc. & cler. ubi textum illum concedentem clericis facultatem de ſuis bonis, ac de quaſi caſtrenſibus diſponendi ſic in ſummam redigunt, ut liceat clericis diſponere de acquiſitis intuitu Eccleſiæ. Atque in propriis terminis docent Oldrad. conſ. 17. num. 2. Butrigar. ea. l. ſacroſancta, paulo poſt princ. Salyc. auth. presbyteros, ſtatim in princ. C. de Epiſcop. & cler. Additionator ad Decium, c. in præſentia, in nova edit. num. 249.

numer. 249. litera B. verb. patris de probat. Anton. Gomez l. 48. Tauri, num. 7. Mendez l. cum oportet, 4. p. nu. 163. C. de bonis quæ liberis.

31 Poſterior ſententia (cui tamquam multo probabiliori adhæreo) ait, omnia prorſus, quæ in laico eſſent adventitia; ſi poſt clericatum acquirantur, eſſe quaſi caſtrenſia; ac proinde patri nequaquam acquiri illorum uſufructum, ſed pleno jure quoad omnia acquiri filio. Probatur ex c. quia nos de teſtament. ibi; licèt clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis, aut cognationis intuitu aut artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum, liberè diſponere valeant, ubi expreſſus eſt ſermo de omnibus adventitiis. Qui textus etſi non omnino probet hanc partem, ut advertimus num. 23. in fin. ſaltem adjuvat. Idem probatur ex d. authent. presbyteros, ibi: res quomolibet ad eorum dominium venientes, & l. ſacroſanctæ 33. C. de Epiſc. & cler. ibi, ea quæcumque in eodem clericatus gradu quæ verba univerſalia, quæcumque & quomodolibet, cùm ſint ita univerſalia, reſtringi nequeunt ad acquiſita ſolo clericali titulo; & l. regia, 3. in fine, tit. 21. p. 1. ibi; Otro ſi pueden los clerigos fazer teſtamento de las coſas, que les dieren ſus padres, o de lo que ganaren de otra parte ſiendo en ſu poder dellos. Præterea, quia id privilegium conceſſum eſt clericis ratione dignitatis, & meritorum, ut conſtat ex d. l. ſacroſanctæ, ibi, qui ſemel probatis moribus integritate caſtiſſima ad hunc gradum meruerunt pervenire. Quæ ratio militat in omnibus bonis, & ideò non eſt ſimile de acquiſitis per milites: quippe id privilegium, ut eorum bona caſtrenſia, ſolis bonis acquiſitis in caſtris conceſſum eſt; & ideo ceſſat fundamentum contrariæ ſententiæ. Et idcirco hujus ſententiæ ſunt Speculat. tit. de actore, §. unico, num. 47. Hoſtienſ. in ſumma tit. de pecul. clericor. num. 3. verſ. aliud eſt peculium, & d. c. quia nos, n. 1. & 2. & ibi Joan. Andr. n. 4. Anton. in fine, Abb. in fin. Anchar. n. ult. Cardinal. n. 1. oppoſit. 1. Imol. num. 6. Barbat. num. 5. Idem Abb. c. conſtitutus, num. 7. de in integrum reſtit. & rubr. de pecul. clerico num. 2. ubi & Cardin. ad fin. Odofred. d. l. ſacroſanctæ in fin. & ibi Paul. num. 3. idem Abbas cap. in præſentia, n. 56. & ibi Pariſ. num. 155. & 156. de probat. & ibi Decius in nova edit. nu. 253. & 254. Alberic. l. ſi donatione, ad fin. C. de collat. Guillelmus Benedictus c. Raynutius verb. matrem, num. 21. de teſtam. Cepol. cautela 113. numer. 2. Jaſon l. filiæ licet, n. 6. C. de collat. Segura l. Imperator num. 93. ff. ad Trebell. Angel. verb. clericus, 13. nu. 12. Sylveſt. verb. clericus, 4. q. 14. n. 10. & verb. peculium, 1. q. 2. ad fin. Tabiena verb. peculium, q. 1. nu. 2. Joan. Lup. rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 42. num. 7. Crott. l. frater à fratre, numer. 106. in fin. ff. de condict. indeb. Roland. conſ. 16. n. 4. 5. & 6. vol. 4. Bernad. Diaz pract. c. 132. n. 6. ad fin. Rebuff. de privileg. ſcholaſticorum, privil. 55. num. 4. Gualdeus de arte teſtandi, tit. 1. cautela 1. num. penult. & ult. Navar. ſumma Latina, & Hiſpana, c. 17. num. 142. & Covar. d. c. quia nos, num. 2. Suarez in q. majoricatus, num. 33. Gerard. ſingulari 54. Tenementi Caſtillo l. 6. Tauri verb. ſuccedant ex teſtamento, verſic. ex quo dicit. Gregor. Lopez l. 2. verb. adventitia, tit. 21. p. 1. Gomez Arias l. 3. Tauri, nu. 31. Molina lib. 1. de primog. cap. 19. num. 27. Perez l. 1. tit. 3. lib. 1. ordinamenti §. eſt etiam & aliud clericis privilegium fol. 65. Cald. l. ſi curatorem, verb. læſis, num. 103. C. de in integrum reſtit. Azebedo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 8. num. 35. Matienzo eod. tit. 1. l. 9. gloſſ. 1. nu. 12. Spino ſpecul. teſtament. in rubr. gloſſ. 4. num. 21. & 22. Cornejo Addition. ad Anton. Gomez l. 47. Tauri edit. 1. in fin. ad num. 1. Molina Societatis JESU tomo 1. de juſt. diſp. 138. col. 2. & diſput. 231. col. 2. verſ. item quaſi caſtrenſia. Benedictus Egid. l. 1. p. 1. §. 7. num. 10. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 4. dub. 3. num. 7. verſ. quaſi caſtrenſe, Azor. tomo 1. inſt. moral. lib. 12. c. 8. q. 9. & tomo 2. lib. 2. c. 23. q. 9. Pro eadem ſententia faciunt Bart. §. presbyteros, n. 1. authent. de ſanctiſſ. Epiſcop. collat. 9. Bald. d. l. ſacroſanctæ, numer. 4. notab. 3. ubi abſolutè dicunt in peculio clerici non habere patrem uſumfructum.

32 Ultimò dubitatur, an hujuſmodi privilegium, ut bona poſt clericatum acquiſita ſint quaſi caſtrenſia, habeat locum in omnibus clericis etiam primæ tonſuræ. Quidam cenſent hoc privilegium ſolis clericis conſtitutis in ſacris ordinibus competere. Ducuntur ex d. l. ſacroſanctæ, ubi de ſolis conſtitutis in ſacris ordinibus ſermo fit. Atque ita docent Ripa l. in quartam num. 171. ff. ad l. falcid. Viglius inſt. quibus non eſt permiſſ. fac. teſt. in princ. num. 18. Cald. l. ſi curatorem verb. læſis num. 105. C. de in integrum reſt. Mendez l. cum oportet p. 4. numer. 167. C. de bonis quæ liber. Quamvìs hi duo admittant hoc in clericis primæ tonſuræ cum quadam limitatione, quam num. 34. referemus, & tenet Salzedo Addition. ad Bernard. Diaz practica cap. 132. litera G.

33 Sed verius eſt, hoc privilegium competere omnibus clericis etiam primæ tonſuræ. Probatur ex d. auth. presbyteros C. de Epiſcopis, & clericis, ibi: presbyteros, & diaconos, & ſubdiaconos, cantores, & lectores, &c. Nam cantor, ſeu, quod idem eſt, pſalmiſta, c. pſalmiſta d. 23. ibi, pſalmiſta, id eſt, cantor eſt initiatus prima tonſura, ut tradunt Gloſ. cap. cum contingat verb. Abbati, de ætate, & qualit. Decius cap. Eccleſia S. Mariæ in nova edit. num. 22. de conſtitut. l. reg. 11. in fine tit. 6. p. 6. Greg. Lopez eodem tit. 6. in ſumm. verb. nueve ordines. Ergo privilegium illius authenticæ convenit clericis primæ tonſuræ. Secundò, ex verbis, quæ ſtatim ſubjunguntur in ea authen. presbyteros, ibi, quos omnes clericos appellamus. Ubi indiſtinctè eſt ſermo de clericis, & de illis etiam eſt ſermo indiſtinctè l. regia 3. in fin. tit. 21 p. 1. & indiſtinctè text. c. quia nos de teſta. At nomine clericorum veniunt omnes etiam prima tonſura initiati, ut conſtat ex c. clericos, & c. clericos d. 21. & c. de perſona 11. q. 1. & tradit Gl. c. 2. verb. clericos, de præb. Decius d. c. Eccleſia nu. 23. & l. reg. 1. in fin. tit. 6. p. 1. Atque ſaltem in favorabilibus nomine clericorum omnes hos comprehendi tradunt Abbas rubr. de vita, & honeſt. cleric. num. 4. Roſelia, Ang. Sylv. Tab. verb. clericus 1. ſtatim in princ. Armilla verb. clericus num. 1. & alii, quos refert, & ſequitur Perez l. 1. §. nomine etiam clericorum tit. 3. lib. 1. ordinamenti fol. 62. Ergo in hoc clericorum privilegio comprehenduntur etiam initiati ſola prima tonſura. Nec obſtat contrarium fundamentum, quia etſi illa l. ſacroſanctæ, de ſolis conſtitutis in ſacris, immo nec de omnibus loquuta ſit, ſed de ſolis Epiſcopis, & presbyteris, & diaconis: d. auth. presbyteros, id privilegium ad omnes clericos extendit, ut tradit Gloſſ. ead. l. ſacroſanct. verb. diaconi. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Hoſtienſ. eo. cap. quia nos, ſtatim in princ. & num. 2. & ibi Joan. Andr. nu. 1. & num. ult. Anton. num. 4. Abb. in fine. Anchar. num. ult. Imola quamvis aliquantulum dubius num. 6. Caridn. ſtatim in princ. & num. 1. oppoſit. 16. Barbar. num. 5. Decius cap. in præſentia in nova edit. num. 255. de probat. Jaſ. l. filiæ licet num. 5. & 6. C. de collat. Hippolyt. rubr. ff. de fidejuſſ. q. 12. num. 125. Cepol. cautel. 113. num. 1. & 2. Bernard. Diaz pract. cap. 132. num. 6. ad fin. Guillelmus Benedict. cap. Raynutius verb. matrem num. 20. & 21. de teſtament. Rebuff. de privileg. ſcholar. privileg. 55. num. 4. Segura l. Imperator num. 93. ff. ad Trebel. Joan. Lup. rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 42. num. 7. in fin. Suarez in q. majoricatus, num. 33. & 34. Gualdens de arte teſtandi, tit. 1. cautel. 1. num. penult. & ult. d. cap. quia nos, num. 13. Molina lib. 1. de primog. c. 19. n. 26. Gomez Arias, l. 3. Tauri num. 30. & 31. & l. 27. num. 100. Avendanno in ſuo dictionario verb. caſtrenſe, in fine, & reſponſ. 17. num. 3. Gerard. ſingular. 54. Tenementi, in fin. Crott. l. frater num. 106. in fin. ff. de condict. indeb. Roland. conſ. 16. nu. 7. & 8. vol. 4. Alcozer ſumma cap. 16. ubi de potentibus irritare vota, concl. 4. fol. 56. pag. 1. Benedict. Egid. l. 1. p. 1. §. 7. num. 10. C. de ſacroſ. Eccleſ. Perez ead. l. 1. §. eſt etiam & aliud clericis privilegium, fol. 65. Spino ſpecul. teſtament. Rub. gloſ. 4. num. ult. Azebedo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 8. num. 15. Matienzo eod. lib. 5. tit. 8. l. 3. gloſ. 2. nu. 4. Molina Societatis Jeſu tom. 1. de juſt. diſp. 138. col. penult. & diſp. 231. col. 2. verſ. item quaſi caſtrenſia, & clarè videtur ſentire Menchaca de ſucceſſ. creatione, lib. 3. §. 30. nu. 209. Nam relata utraque opinione concludit dicendum eſſe, ut ait Covar. c. quia nos de teſtament: in quo loco Covar. amplectitur hanc ſententiam. Pro eadem ſententia ſunt Speculat. Bart. Bald. Paul. Alberic. Roland. Angel. Sylveſt. Greg. Lopez, Tabiena, Navar. Leonard. & Azor. utroque loco alleg. n. 31. Nam abſque aliqua diſtinctione loquuntur de clericis, dicentes eorum bona gaudere hoc privilegio.

34 Quidam autem ex his Doctoribus temperant hanc ſententiam, ut intelligatur, quando hi clerici minorum ordinum, aut primæ tonſuræ actu inſerviunt Eccleſiæ. Ita docent Avendano utroque loco allegato num. præced. Addion. ad Decium c. in præſentia in nova edit. n. 255. litera A. verb. minorib. de probat. Immo alii petunt, ut habeant omnia requiſita in Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. ad gaudendum privilegio fori; quæ ſunt deferre habitum, & tonſuram, aut eſſe in ſcholis, aut in alicujus Eccleſiæ miniſterio ex Epiſcopi licentia, vel beneficium eccleſiaſticum habere. Ita Spino Matienzo, Benedictus Egidius n. 11. in fin. Molina Societatis JESU utroque loco allegati nu. præced. Et cum eadem limitatione hanc ſententiam admittunt Caldas, & Mendez allegati n. 31. Hoc probant Caldas, & Mendez, quia quamvis Tridentinum loquatur de privilegio fori, non minus extendatur ad alia privilegia. Quia longè major ratio eſt, ut alia privilegia amittantur, quippe faciliùs amittuntur, ut conſtat in clerico conjugato, qui nunquam hoc, nec cæteris privilegiis gaudet, cùm tamen ſervatis aliquibus conditionibus, gaudet privilegio canonis, & fori, ut dicemus nu. 36. Inſuper id probat Molina Societatis JESU, quod in deſuetudinem abierit, ut clerici minorum ordinum, & primæ tonſuræ, eas conditiones non ſervantes, hoc privilegio potiantur. Tandem poteſt probari, quia hi clerici, non ſe gerentes in habitu inſtar clericorum, cenſentur potiùs laici, & ſolo charactere clerici, ut innuit Innocent. cap. 1. de appoſtat. numer. & allegatis Antonio, & Goffredo, tenet Capic. deciſ. Neapol. 161. nu. 2. Atque ideo Felician. tract. de cenſib. libr. 2. c. fin. n. 14. dicit, nec hos clericos gaudere privilegio canonis ob decretum Trident. ſeſſ. 23. de reform. capit. 6. Pro qua etiam ſententia citatur Gonzal. quam referam nu. ſequenti, Manuel. 1. tom. ſum. 2. edit. c. 80. numer. 17. Sed falsò, quia expreſsè in ſolis clericis conjugatis has conditiones petit.

35 Cæterum limitatio non placet, ſed exiſtimo clericos primæ tonſuræ nullam earum conditionum ſervantes gaudere hoc privilegio. Atque ita jure optimo reliqui Doctores allegati num. 33. abſque aliqua limitatione hanc ſententiam amplexi ſunt: & Azebedo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 8. n. 16. hanc limitationem rejicit. Ducor, quod privari privilegiis clericalibus ſit odioſum, ac ſubinde reſtringendum. Cùm ergo Tridentinum eas conditiones ad ſolum fori privilegium retinendum petierit, id non eſt extendendum, ut neceſſarium ſit ad retinenda cætera privilegia. Atque ita Navar. lib. 5. conſil. in 2. edit. tit. de privileg. toto conſ. 24. & Gonzal. in reg. 8. Cancellar. gloſ. 5. §. 5. num. 6. & quatuor ſequentibus & gloſ. 53. num. 55. & in priori loco num. 7. affert deciſionem Congregationis Cardinalium de hoc; probant in eo decreto non auferri privilegium canonis, utpote quod eſt diverſum à privilegio fori. Et idemmet Molina Societatis JESU tomo 3. de juſtitia, diſpup. 671. ad fin. & Azebedo libr. 9. recopilat. titul. 18. l. 6. n. 6. aſſerunt reliqua privilegia præter fori relicta illæſa à Tridentino in clerico non ſervante eas conditiones. Idque clarè conſtat, quia, ubi textus alia privilegia auferri volunt, id explicant, ut c. unic. de clericis conjugatis in 6. Quod confirmat Tridentinum eod. cap. 6. ubi explicuit, clericos conjugatos nullis aliis clericorum privilegiis gaudere, præter canonis, & fori, & his tantum ſervatis quibuſdam conditionibus. Et ideo abſque fundamento hoc negavit Felician. num. præced. allegatus. Cum ergo Tridentinum eas conditiones ad ſolum fori privilegium petierit, non ſunt petendæ ad alia retinenda, cum nullus alius textus eas petat: eo vel maximè, quod longe diverſa ſit ratio: privilegium enim fori reſtrictum eſt ob maximam Regum inſtantiam, ne fraudaretur eorum juriſdictio: quod in reliquis privilegiis locum non habet. Et confirmatur, quia adeò id decretum Tridentini eſt reſtringendum, ut cenſuerit Cavalcanus dec. 10. num. 21. & 24. p. 5. allegato Farinacio, clericos primæ tonſuræ non ſervantes eas conditiones minimè privari toto fori privilegio, ſed illo gaudere quoad perſonam, non autem quoad bona, ſive in civilibus, ſive in criminalibus. Quam doctrinam (etſi non credam veram) affero ad declarandum, quàm ſtrictè ex mente horum ſit intelligendum hoc decretum. Tandem, quia oppoſita conſuetudo allegata à Molina Societatis JESU n. præced. non probatur, & oporteret illam probare. Et quamvis clerici eas conditiones non ſervantes ſint inſtar laicorum; at verè ſunt clerici, & ſolis privilegiis, quæ jus exprimit deperdi, ſpoliandi ſunt. Et ex his conſtat ſolutio ad rationes contrarias.

36 Tandem certum eſt, clericos conjugatos hoc privilegio non gaudere, quia ſolis canonis, & fori privilegiis gaudent, & his dummodo ſervent aliquas conditiones, ut expreſsè habetur c. unic. de cleric. conjug. in 6. & in Trident. ſeſſ. 23. c. 6. de reformat. Atque ita docent Mayner. l. filius famil. nu. 12. & 18. ff. de regul. juris Caldas l. ſi curatorem verb. læſis n. 104. in fine, C. de integr. reſtitut. Mendez l. cùm oportet 4. p. n. 166. C. de bonis, quæ liberis.

SUMMARIUM.

An peculium profectitium, caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe, & libri filiifamilias tranſeant ad monaſterium per ejus profeſſionem? num. 37.

Quid de adventitio, an tranſeant etiam quoad uſumfructum, & illum amittat pater? Refertur quædam ſententia, num. 38.

Explicatur ſententia auctoris, num. 39.

An poſſit ingrediens religionem teſtari de tertia adventitiorum parte, etiam quoad uſumfructum? num. 40.

An filiusfamilias poſſit in regno Caſtellæ teſtari de tertia bonorum parte, etiam quoad uſumfructum? Refertur quædam ſententia, num. 41.

Sententia auctoris, & explicatur l. 5. Tauri n. 42.

An poſſit teſtari de tertia partis uſufructu ad opera pia, & alia debita ſolvenda, & an teneatur pater credere filio affirmanti etiam cum juramento ea debita in ſuo teſtamento; & an poſſit filius legare partem tertii patri cum hoc onere, ut conſentiat cætera legata impleri in ſui uſusfructus præjudicium, & in dubio legans partem tertii cenſeatur hoc velle? Et an legatum uſusfructus omnium bonorum factum uxori, valeat in præjudicium filiorum, & cenſeatur compenſari cum proprietate quinti, quam filiis relinquit, vel poſſit eam cum hoc onere relinquere? numer. 43.

Acquiſita poſt profeſſionem ſunt quaſi caſtrenſia, nec in eis habet pater uſumfructum, ſed is pertinet ad monaſterium, num. 44.

Quid de acquiſitis poſt vota bienii Societatis JESU? num. 45.

Quid de acquiſitis tempore novitiatûs? num. 46.

37 Quæſtio tertia. Quale filiifamilias peculium tranſeat in monaſterium ſuccedendi capax ejus profeſſione. Et quidem fatentur omnes auctores allegandi profectitium minimè tranſire nec quoad proprietatem, nec quoad uſumfructum, quia quoad utrumque eſt patris. Similiter fatentur omnes illi peculium caſtrenſe, vel quaſi tranſire in monaſterium quoad proprietatem, & uſumfructum, quia ſunt filii quoad utrumque. Diſputantque Doctores hic, an libri dati à patre filiofamilias cauſa ſtudii reputentur bona filii, & conſequenter in monaſterium tranſeant? Sed petit res hæc longam diſputationem, & ideo eſt latè tractanda in 4. Decalogi præcepto, ubi diſputatur de his filiifamilias peculiis, & quando ea conferre teneatur. Fatentur etiam peculium adventitium tranſire in religionem quoad proprietatem, quæ filii erat.

38 Difficultas autem ſpecialis eſt ad adventitio filiifamilias peculio, an tranſeat in monaſterium quoad uſumfructum: atque ita per filii profeſſionem privetur pater uſufructu illo, quem in illud acquiſierat: Affirmant aliqui, & poteſt probari argumento ducto à matrimonio carnali, ut illud propoſuimus num. 25. in quodam ſimili. Secundò poteſt probari argumento ducto à ceſſante cauſa, ceſſat effectus c. cum ceſſante de appellat. Sed patria poteſtas, quando eſt cauſa acquiſitionis hujus uſusfructus, ceſſat per profeſſionem: ergo ceſſabit quoque uſusfructus; at proinde ad monaſterium in poſterum pertinebit. Ita docent fortè poſſe dici, quando filius expreſsè diſpoſuit de illis bonis, alias ſtandum auth. ſi qua mulier. C. de ſacroſ. Eccleſ. Abb. c. in præſentia, nu. 56. de probat. Roſel. verb. clericus in fin. & verb. legari, n. 18. Sylveſt. verb. clericus, 4. q. 14. num. 10. & de acquiſitis ante clericatum dicit fortè ita eſſe, ut efficiantur quaſi caſtrenſia profeſſione ſequuta Guillelmus Benedictus cap. Raynutius, verb. matrem, num. 20. de teſtament. & expreſsè, quod perdat pater eum uſumfructum, & tranſeat ad monaſterium, tenet Benedictus Egid. l. 1. p. 4. §. 2. nu. 19. ſaltem de jure Luſitaniæ.

39 At omninò dicendum eſt, hujuſmodi bona non effici quaſi caſtrenſia profeſſione ſequuta; atque ita nullatenus pertinere ad monaſterium quoad uſumfructum, ſed quoad ſolam proprietatem, remanente uſufructu apud patrem, dum pater vivit, & eo mortuo conſolidari cum monaſterii proprietate. Ratio eſt, quia nulla poteſt eſſe ratio hujus uſusfructus amittendi, niſi eo quod patria poteſtas, quæ ejus cauſa erat, ſolvatur profeſſione filii. At hæc ratio non obſtat, quia uſusfructus ſemel acquiſitus non amittitur ceſſante patria poteſtate l. ult. C. de Titul. & l. 3. C. de uſufruct. Quare tunc ceſſante cauſa effectus, quando ab illa dependet in fieri, & conſervari, ut lux à Sole; ſecus quando ſolum in fieri pendet, ut calor ab igne: uſusfructus autem pendet ſolum in fieri à patria poteſtate. Item, quia in amittendo uſufructu non attenditur mors domini proprietatis ſed ipſius uſufructuarii, ut probavimus n. 5. Si ergo morte naturali filiifamilias, qui eſt proprietatis dominus, non finitur hic paternus uſusfructus, a fortiori nec morte civili: eo vel maximè, quod certius ſit diſſolvi patriam poteſtatem morte naturali filii, quàm civili. Item probatur rationibus, quibus nu. 26. probavimus idem de bonis acquiſitis à filiofamilias ante clericatum. Et ex dictis ibi, & hic conſtat ad rationes contrarias. Et ideò hanc patrem ſuſtinent Specul. tit. de ſtatu monach. §. unic. n. 9. Anton. c. in præſentia n. 56. de probat. & ibi Decius in nova edit. n. 247. Berojus n. 526. & 527. Pariſ. n. 155. Mantua nu. 65. Odofred. auth. ingreſſi n. 4. C. de ſacroſ. Eccleſ. & ibi Bellapert. q. 9. Salycet. n. 4. q. 1. Tapia ibi verb. ſua c. 4. n. 4. Alciat. l. gallus, §. & quid ſi tantùm, n. 81. ff. de liber. & poſth. Joan. Lup. rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 42. in fine Novell. repetit. l. cum filiofamilias n. 42. ff. de legat. 1. & ibidem Baber. nu. 111. Angel. ſumm. verb. religioſus, num. 56. Sylveſt. verb. religio 6. q. 1. dicto 5. Tabiena verb. religio q. 36. n. 37. & ibi Armil. n. 24. Navar. comment. 2. n. 35. de regul. Suarez in q. majoricatus, nu. 37. Gregor. Lopez l. 5. verb. el uſofructo tit. 17. p. 4. Villalobôs in ſuis communibus, litera M. verb. monachus, n. 238. Anton. Gomez l. 48. Tauri n. 7. in fin. Benedictus Egidius l. 1. p. 1. §. 6. nu. 6. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Joan. de Monteſperd. conſilio 46. nu. 1. vol. 1. Menchaca de ſucceſſ. progreſſ. lib. 1. §. 1. à n. 39. uſque ad 43. & omnes Doctores num. ſeq. allegandi Caſtillo de uſufructu lib. 1. c. 65. to. 1. de juſt. diſp. 1. col. 5. verſ. hoc tamen fundamento, Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 8. q. 3. & tom. 2. l. 2. c. 22. q. 5. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 41. dub. 10. n. 83. Manuel q. regular. tom. 3. qu. 16. art. 4. Rebell. tract. de juſt. p. 2. lib. 1. qu. 8. ſect. 6. num. 64. Pinel. l. 1. p. 1. n. 45. C. de bonis matern. Caldas l. ſi curatorem verb. læſis, nu. 105. in fine, C. de in integ. reſtit. Mendez l. cum oportet, 2. p. n. 129. C. de bonis, quæ liber Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. l. 9. gloſ. 2. nu. 2. & tit. 8. l. 1. gloſ. 3. nu. 20. Sayro in clavi regia, lib. 9. c. 7. n. 9. Lelius Zecchius de Repub. eccleſ. tit. de regular. c. 3. n. 14. ampliat. 3. & 2. p. ſua ſummæ, c. 8. n. 7. Atque idem docent Doctores alii, quos nu. 26. retulimus dicentes, bona acquiſita ante clericatum non effici quaſi caſtrenſia clericatu acquiſito, & adhuc patri competere uſumfructum illorum.

40 Hinc deducitur minus bene dixiſſe Abbatem, & ejus ſequaces relatos num. 38. poſſe filiumfamilias in religionem ingreſſum diſponere de adventitiis quoad proprietatem, & uſumfructum, quia cùm uſusfructus ille non ſit ſuus, ſed patris, dum vivit, non erit integrum filio de illo diſponere. Atque ita tradunt Decius, Berojus, Pariſ. Mantua n. 66. Angelus, Sylveſt. Tabien. Armil. Gregor. Lopez, Anton. Gomez nu. præced. allegati, Tello l. 5. Tauri nu. 5. & ibi Avendano junior. gloſ. fin. n. 3. Rojas epitom. ſucceſſ. c. 29. n. 25. Spino ſpecul. teſtament. gloſ. 9. principali n. ult. Guttier. qq. pract. lib. 2. q. 40. n. 3. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 4. l. 4. gloſ. 3. nu. 4. Morquecchus de diviſ. bonor. l. 4. c. 4. n. 25. Benedict. Egidius eo n. 6. & 7. 8. 9. ubi eum allegavi num. præced. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 8. q. 9.

41 Sed in regno Caſtellæ eſt difficultas ſpecialis, an integrum ſit filiofamilias teſtari de tertia bonorum adventitiorum parte non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad uſumfructum? Qua in re quidam cenſent quemcumque filiumfamilias poſſe in hoc regno teſtari de ea tertia parte etiam quoad uſumfructum. Ducuntur, quia l. regia 5. Tauri, hodie l. 4. tit. 4. lib. 5. nova recopil. ſic habetur; El hyo, o hya que eſta en poder de ſu padre ſiendo de edad legitima para hazer teſtamento, pueda hazer teſtamento, como ſi eſtuviera fuera de ſu poder, & ſtatim l. 6. Tauri hodie l. 1. tit. 8. lib. 5. recopil. datur facultas filio teſtandi de tertia bonorum parte in aſcendentium præjudicium. Ergo poterit teſtari de ea tertia parte etiam quoad uſumfructum; tum quia ea l. 6. datur facultas hæc teſtandi nulla adjecta limitatione: tum

etiam